HISTORIA CONFESSIONIS AURICULARIS EX ANTIQUIS SCRIPTURAE, ...

Jacques Boileau

Digitized by Google

125

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
...OTECA
8
K
A

Digitized by Google

XXVIII a 5

Digitized by Google

Digitized by Google

8. 27. K. 20

HISTORIA CONFESSIONIS AURICULARIS

EX ANTIQUIS SCRIPTURÆ,
Patrum, Pontificum & Conciliorum
monumentis

CUM CURA ET FIDE EXPRESSA.

Autore JACOBO BOILEAU, *Theologo
Pariſienſi, Eccleſiæ Metropolitanæ
Senonenſis Decano.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud Viduam EDMUNDI MARTINI, via
Jacobæa, ſub Sole aureo, & Sacrificio Abelis.

M. DC. LXXXIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURITIO
LE TELLIER,

REMENSIUM ARCHIEPISCOPO
AC DUCI,
PRIMO FRANCIÆ PARI,
GALLIÆ BELGICÆ PRIMATI,
Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato nato,
REGIÆ CAPELLÆ PRÆFECTO, &c.

JACOBUS BOILEAU, Theologus Pariſienſis,
Decanus Senonenſis,
S. D.

QUOD in inſcribendis ad Viros illuſtres & Magnates libris arduum ac difficile ſemper fuit hominibus doctis æque ac piis & religioſis,

ā.ij

Digitized by Google

hodie mihi planum ultro ſeſe offert atque omnibus ſalebris liberum, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME. *Enimvero cum nihil ſit difficilius quam ſine aſſentatione laudare, quid mihi accidere poterat jucundius quam ad Te ſcribere? quo ab omni adulationum genere alieniorem animum Reſpublica non habet, quicum pietate & ſcientia Viri inſignes, quorum ſimilis ab ineunte ætate fuiſti, familiaritate ac neceſſitudine conjuncti nihil magis pertimeſcendum eſſe ſibi perſuadent, quam Te propriis laudibus & meritis efferre, ne Tibi in amicitia inſidioſi aut fallaces eſſe videantur.*

Cum igitur hæc tua laus ſit ſingularis & ſolitaria, ſumma tua virtute parta, quod a nemine homine Te laudari patienter ſuſtineas; non ancipiti lance diu deliberandum mihi fuit, cui hoc Opuſculum de Confeſſione auriculari nuncuparem, quo omnibus hominibus, dignitatis & amplitudinis diſcrimine remoto, principibus viris & ſubditis, Pontificibus & plebi, infinita crimina

Digitized by Google

exprobrantur, & non ſolum Deo, verum etiam hominibus ac miniſtris culpæ retegendæ & enunciandæ comprobantur, & ſæpe ſæpius pleraque occultiora peccata pœnitentiæ lacrymis ac laboribus expungenda ac diluenda demonſtrantur. Ecquid enim in vita hominum revera laude dignum atque commendatione exiſtimari poteſt? [a] Cum ſimus omnes natura filii iræ; [b] nec ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: [c] nec quicquam timendum ſit a verbis viri peccatoris, quia gloria ejus, ſtercus & vermis eſt.

Ea ſunt vitæ Chriſtianæ effata, quæ cum tuis fortunis incredibili ſocietate conjuncta, oculorum tuorum aciem numquam effugiunt: Teque in faſtigio dignitatum Eccleſiaſticarum intaminatis famæ & virtutis honoribus fulgentem, ſublimi humilitate, & congenita Familiæ ac Sanguini tuo modeſtia ſupra mortalem exornant. His documentis illuſtratus, Præsul doctissime,

a Epheſ. cap. 2. v. 3. b 2. Corinth. cap. 3. v. 5. c 1. Machab. cap. 2. v. 62.

Digitized by Google

non es ex eo genere hominum natus aut inſtitutus, qui dulci fortuna ebrii quid ſit Epiſcopum agere neſciunt. Satis enim teſtificatur Diœceſis tuæ laborioſa procuratio, in eligendis & conſtituendis miniſtris confeſſionis caſtigata ſolicitudo, quam admirabili cupiditate rapiaris ad veræ immortalitatis ſpem, quam videris Tibi habere in manibus, maximis Dei beneficiis & tua ſumma voluntate incitatus, ad gerendum pie & ſancte Sacerdotium tuum animo alacris, & ad artium honeſtiſſimarum & ſanctiſſimarum ſtudia inflammatus.

Ego vero cum paucis abhinc menſibus in tuo comitatu, ſingulari tuæ erga me benevolentiæ teſtificatione, Eccleſiam tuam Remenſem perluſtraſſem, & vigilantiam tuam, clementiam, liberalitatem, integritatem ac lenitatem non ſolum magnam, verum etiam admirabilem, multa cogitatione reputarem; non dubitavi Te ad Eccleſiam capeſſendam natum & factum fuiſſe, Teque tot gratiarum ſuarum acceſſionibus cælum cumulaſſe,

Digitized by Google

quem ad æterna Dei omnipotentis decreta confeſtim agenda formaverat.

Nec aliter contingere poſſe videbatur Homini non ambitioſe ad Epiſcopatum anhelanti, ſed rapto; cujus numquam felicitas in fortunæ fuit temeritate poſita, ſed ipſa fortuna cum virtute ac Gentis felicitate mirabiliter adæquata. Optime enim intellexiſti a Majoribus tuis, veræ fidei cultoribus, & Eccleſiæ Patribus, quorum exempla ac præcepta numquam Te fugiunt, quam turpe ſit ac probroſum peccati genus hominum infulas Epiſcopales & curam animarum ambientium. Verumtamen hac contumelia inquinatis peccatoribus impoſitam confeſſionis neceſſitatem aut pœnitentiæ normam, ex antiqua confeſſionis hiſtoria intelligere non potis eſt. Nec mirum videri debet; quippe cum hæc ſint decidentis diſciplinæ mala, & parietinarum hiatus, quos Eccleſia, crudis adhuc & virentibus Chriſtianorum moribus, anticipare aut prævenire non potuit: ambitioſos Sacerdotiorum mini-

ſtros, & imperioſa mendicatione Beneficia extorquentes, inter flentes & proſtratos ad alias pœnitentiæ publicæ claſſes ſponte confeſſos aut convictos dubio procul relegatura.

Neutiquam vero deſperandum eſt, ad hanc veteris diſciplinæ regulam brevi tempore pleroſque Fidelium non difficiliter directum & conformatum iri: ſiquidem exemplo tuo, fortitudine, ſapientia, & eruditione incitati fere omnes Eccleſiæ Gallicanæ Patres nihil jam præter antiquos Canones ſpirare, ac libertatem Eccleſiaſticam in animo habere videantur.

Quis enim admirabilem & pene incredibilem primitivorum ἀνάστασιν *ex poſtremis Eccleſiæ Comitiis, quibus tanto cum ſplendore ac ſingulari moderatione interfuiſti, non intelligat? Quis Sponſæ Chriſti jura vindicata, Rege Chriſtianiſſimo tuis ſtudiis adſpirante, atque univerſæ Eccleſiæ Gallicanæ rogationibus annuente, rebus ſuis non poſtpoſitis, ſed in patrocinium Eccleſiæ liberaliter effuſis, perſpecta non habeat? Cum præſer-*

Digitized by Google

tim ea cordis & animi integritate, qua numquam caruiſti, difficillima negotia tractaveris; ut dubitandi locus non relinquatur, quin tandem aliquando infinitis bonorum ac munerum acceſſionibus a Regibus Chriſtianiſſimis exornata ſanctitas Pontificis juris Regii tenuiſſimam porrectionem prudenti compenſatione ferat. Nam etiamſi in omnibus parendum eſt patri, in eo tamen parendum non eſt, quo efficitur ut pater non ſit. Non tam congruit ſupremarum Poteſtatum majeſtati propriis negotiis, quam publicis occupari: adeoque ſperandum eſt, rerum Chriſtianarum ſummum Præfectum, qui fere omnibus, quos pluribus abhinc ſæculis Eccleſia vidit, anteceſſoribus ſuis in ſanctitate & pacis amore antecellit, animum ſuum ab ejuſmodi quæſtionibus disjuncturum, quæ jam Rempublicam miſcent, & ad manſuetiores cauſas relaturum atque ovili Christi magis conducibiles.

Ultimos eheu! pene trahit ſpiritus, dolore Bonorum omnium non conſolabili, Theo-

Digitized by Google

logia Moralis, infinitis Philoſophorum atque humanitus ſapientum hominum novitatibus deformata, & incogitabili tabe ex vaga rerum opinabilium licentia ac libidine ſine ſenſu contracta languet: niſi ſupremus Medicus molliter graſſanti morbo manum ſeveram admoveat, & ad hujuſce temporis injurias & contumelias prope projectam morum Doctrinam ſuſtentet.

Quam horribiles ſint hujuſce febris exacerbationes abundanter intelleximus ex illo juſſu Cleri Gallicani nuper contexto Propoſitionum examinandarum Indice ampliſſimo, ex quo præter prima morum dirigendorum principia, quibus ſuper nos ſignatum eſt lumen vultus Domini, quæ nec vetuſtate nec malitia hominum obliterari poſſunt, vix aliquam partem in vitæ Chriſtianæ efformandæ diſciplina intaminatam, aut contumelia vacuam permanſiſſe cognitiſſimum eſt.

Quæ cum ita ſint, niſi tuis ac florentiſſimi Cleri votis annuens Pontifex tam cito in venas erumpenti veneno occurrat, quid me

Digitized by Google

juvabit ad hanc Lucubrationem tanto cum ſudore incubaſſe, Hæreticorum calumnias diluiſſe, jura Pontificum & Sacerdotum vindicaſſe, plebi Chriſtianæ criminis horrorem incuſſiſſe, pœnitentiæ amorem inſpiraſſe, Hiſtoriam Confeſſionis auricularis in tuo præſidio collocaſſe? quam furentis rationis vanitate humanæ ſapientiæ Magiſtri peſſundent, ut clavium Divinarum poteſtatem pipulo differant, ac lædoriis Calviniſtarum ludificandam relinquant.

Equidem ſcio, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *quam vehementer ejuſmodi malorum cogitatio animum tuum erigat atque excitet, omni ſcientiarum genere aliunde exaggeratum. Quippe cum nihil eſſe debere ex Epiſtolarum S. Pauli jucundiſſima lectione intelligas, qua mentem tuam quotidie ſumma voluptate exples, quod non Epiſcopus alto aggrediatur animo, aut cautiſſimis conſiliis non adminiſtret, aut ſtrenuo labore non perficiat.*

Et qua ſpe igitur meliori, quam tuo pa-

Digitized by Google

trocinio fretus pro noſtra Confeſſionis Hiſtoria judicium publicum ſubitura timorem excuterem? quantumvis omnem veteris pœnitentiæ formam ac ſpeciem cum cura expreſſam, omnibus quidem Doctis amabilem, ſed non omnibus adamatam, præ ſe ferat.

Nam ſi præſidii ac propitii Defenſoris experimentum poſtulat, quis neſciat Te ab adoleſcentia Avorum more veritatem de terra ortam & juſtitiam cælo delapſam obvias & mutuo complexu æternum colligatas, quas tuendas in hoc Opere recepi, unis in tuis ædibus ſuſcepiſſe, ſuſceptas excoluiſſe, excultas armaſſe, armatas pugnare docuiſſe, & pugnantes ſemper coronaſſe? Si Patroni ſplendorem ambit, quis non meminerit Te Eccleſiæ Remenſis Pontificem, primum Franciæ Parem ac Ducem, Patris patriæ Filium, per omnes dignitatum gradus ſemper a magnis ad majora provecti, inter Leges & Arma longo & continuo vitæ curſu pro ſalute Regni Gallici diu verſati, & tandem in hoc honoris faſtigio juſta Ludovici Magni

Digitized by Google

beneuolentia conſtituti, unde qualem quiſque habeat in Republica ſortem, de manu Ejus neceſſe ſit accipere?

Eat igitur ab omni ſuſpicione aut invidia ſecurus Liber in orbem, cujus Autorem inſuper virum bonum dignumque iis ſtudiis eaque doctrina, cui a pueritia ſe dedit, exiſtimaſti: in quo nihil non modo inſidioſum & fallax in amicitia, ſed ne humile quidem & jejunum agnoviſti: immo vero quem fore Tibi ſemper addictiſſimum, de tuis erga ſe meritis non conquieſcentem, & ad nutum ac voluntatem tuam juſtam ſemper & æquam ſumma cum propenſione converſum & aggregatum nunquam dubitaſti. Vale. Senonis VI. *Idus Julias* M. DC. LXXXIII.

S. Auguſtinus Epiſtola LIV. ſive CXVIII. ad Januarium num. 6.

Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.

Digitized by Google

ADMONITIO
AD LECTOREM.

OPus de Confeſſione auriculari a ſummis nobiliſſimiſque Theologis inchoatum, LECTOR CARISSIME, ſed a nemine homine perfectum, aut omnibus numeris abſolutum aggredior. Cum proxime elapſo ſæculo, anno Chriſti MDXVII. erumpere primum cœpiſſet Luthera-na hæreſis, ac potiſſimum ex uſu ab omni hominum memoria recepto confitendi peccata apud Sacerdotes Dei, jurgii cauſam Eccleſiæ catholicæ intuliſſet: Illuſtriſſ. Joannes Fiſcherus *, Roffenſis in Anglia Epiſcopus, ad hanc tuendam veritatem primus in arenam deſcendit, cujus Purpura apud trucem & efferatum animum Henrici VIII. Magnæ Britanniæ Regis irritamento fuit ad exſatiandam immanem rabiem, accelerandumque ſanctiſſimo Viro exitium.

Eodem fere tempore Joannes Eckius, Theologus inſignis, qui prolatis validi excultique ingenii monumentis magnopere in

* Reſponſio ad artic. VIII. Lutheri. *Vvirceburgi anno* MDXCVII.

Digitized by Google

Germania inclaruit, adverſus Lutherum eandem confeſſionis cauſam nervoſe defendit editis ſeptem Homiliis *, quibus eam eſſe jure Divino apud homines conſtitutam demonſtravit.

Sed utrique ſatis denſo Opere ea de cauſa dedita opera confecto, contentione animi & Scriptorum Eccleſiaſticorum adjumentis, longe antecelluit Joannes Gropperus, Archidiaconus Colonienſis, quem ob caſtimoniam vitæ ſummamque doctrinam inter Purpuratos Patres, quos Cardinales vocant, Paulus IV. rerum Chriſtianarum Præfectus invitum cooptavit. Is enim verus eſt Autor Libri Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, poſtea apoſtatæ, vulgo ſed perperam adſcripti ſub titulo *Inſtitutionis compendiariæ doctrinæ Chriſtianæ in Concilio provinciali habitæ anno* MDXXXVI.

Tum vero anno MDLXII. Marianus Victorius, Juriſconſultus Reatinus, poſtea Epiſcopus Amerinus, cum adhuc Cardinalis Moroni, Pii IV. in Concilio Tridentino Legati, contubernalis eſſet; quicum ſtudiorum ac honeſtiſſimarum artium cultu familiariter conjunctus erat, Romæ typis publicis Pauli Manutii Opuſculum evulgavit Pio IV. Pontifici nuncupatum, ſub titulo *Hiſtoriæ de Sa-*

* Tom. IV. Homil. *Pariſiis anno* MDLXI.

Digitized by Google

cramento Confeſſionis ſeu Pœnitentiæ : quod quidem breve ſpecimen fuit grandioris Operis, quo univerſam Sacramentorum hiſtoriam complecti animo conceperat, immo quam pene, ut ex Epiſtola ad Pium IV. intelligimus, ad exitum perduxerat, non ſine magno reipublicæ Chriſtianæ intertrimento deperditam.

Deinceps continenti tempore, cum Eccleſia catholica ſtr[illegible]uis defenſoribus veritatis ſingulari Dei benevolentia numquam careat, anno MDCXV. clariſſimus Joannes Fileſacus, magnum Sorbonæ noſtræ lumen, decuſque Facultatis Pariſienſis, Collectionem plurium opuſculorum ſimul compactorum publicavit, inter quæ ad finem Lucubrationis *de Origine Paræciarum*, brevis Commentarius occurrit *de Confeſſionis ſecretæ ſeu auricularis, ut vocant, uſu & praxi apud Chriſtianas gentes* ; cujus lectio mentes erigit, & multa eruditione ac ſingulari explet. Quippe cum invictiſſime demonſtret ex literis Alcuini Abbatis, quas Henricus Caniſius tomo v. Antiquarum Lectionum publici juris fecit, tempore Caroli Magni conſuetudinem & uſum confeſſionis ejuſmodi nemine reluctante receptum fuiſſe. Verumenimvero cum hæc omnia variorum Scriptorum Opuſ-

é

cula nimis compendiaria viderentur, & ad efformandam ideam ac ſpeciem amplioris Operis magis apta, quam admateriam confeſſionis exhauriendam inſtituta; cum etiam in iis argumenta veritati ac neceſſitati confeſſionis valde conducibilia poſtpoſita ſint, objectiones a diverſæ partis Scriptoribus fieri conſuetæ ſilentio prætermiſſæ, atque etiam veterum Scriptorum acta & monumenta dubia & incerta plerumque ſine delectu prolata, nondum ea ætate tanto caſtigatioris critices ſtudio mentes Theologorum illuſtrante: tandem Cardinalis Bellarminus non ſolum aliorum Lucubrationes de Confeſſione amplificavit, verum etiam totam materiam expolivit, & argumenta ad hanc confirmandam, atque ad hæreticorum objectiones diluendas innumeris acceſſionibus cumulavit.

Porro hæc Lucubratio Bellarmini adeo ſuperſtitionis Calvinianæ defenſores perculit, ut eam totis viribus frangere conatus ſit Joannes Dallæus, Charentonii Templi prope Pariſios Miniſtrorum doctiſſimus, anno MDCLXI. deditaque opera volumen pari craſſamento cum majoribus libris confecerit, quo in gratiam anticipatæ animo opinionis adverſus confeſſionem auricularem,

Digitized by Google

omnes theſauros antiquitatis pluſquam potuit exhauſit, totque pigmentis ac fucatis coloribus vultum hæreſis illinivit, ut falſum vero ſimillimum reddiderit, & (quod apud omnes Fideles horribile ac pertimeſcendum ſemper fuit) credibile ac probabile apud pleroſque, modicæ quidem fidei, ſed non contemnendæ eruditionis viros effecerit. Hac de cauſa Opus ſuum quadripertito diviſit. Duobus libris prioribus reſpondit ad objectiones quaſdam & argumenta Theologorum Eccleſiæ catholicæ, quibus veritatem & neceſſitatem confeſſionis comprobant: quæ cum ad fidem catholicam non pertineant, eorum defenſionem Theologis Scholaſticis vindicandam reliqui. Cætera etiam a Miniſtro aſſumpta ex ſilentio Scripturæ & Patrum de confeſſione, & ex caſibus & calamitatibus, quas conſcientiis mortalium adferre ſibi finxit, ſigillatim excutienda non exiſtimavi. Omnia enim hæc opinioſorum hominum præſidia ac effugia funditus corruere in conſpectu virorum doctorum neceſſe eſt, bene ac ſincere conſtituta hiſtoria ſeu traditione confeſſionis auricularis, eaque ab Apoſtolicis temporibus per manus a majoribus nobis tradita & vindicata veritate.

ADMONITIO

Mihi etiam levis curatio fuit ad eas rationes quas ex induſtria contra Jeſuitas prodidit , quorum ſæpe fibulas, ut ejus verbis utar, mordicus carpit, & quos in miniſterio confeſſionis, prævaricationis & adverſus Epiſcopos contumeliæ paſſim accuſat. Societas enim Jeſuitarum nec meo auxilio, nec defenſione mea eget, injuriarum ſibi a Calviniſtis & Lutheranis inflictarum vindex non ignava nec imbecilla: adeoque Reverendis Patribus ſuarum partium in hoc negotio agendarum invidus non fui, & hac de cauſa tantummodo cauſæ Eccleſiæ catholicæ ac fidei Chriſtianæ de confeſſione patronus extiti.

Conſilium igitur meum fuit, alienis rebus ac quæſtiunculis emergentibus e regione relictis, quoad potui, in gratiam confeſſionis auricularis præſtare, quod, niſi mors immatura cohibuiſſet, promiſerat illuſtriſſimus Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, uti ex obſervatione XXVI.[b] libri II. Obſervationum, quem publicavit anno MDCXXIII. intelligimus: quodque dedita opera ac conſulto prætermiſit doctiſſimus Oratorii Domini Jesu Preſbyter, Joannes Mori-

a *Pag.* 120. 121. 122. 176. 177. *&c.*
b Nam ut omittam confeſſionem auricularem, de cujus antiquitate ſpero me dicturum & probaturum majore otio.

Digitized by Google

nus, uti nos docet libri II. Hiſtoriæ Sacramenti Pœnitentiæ capite III. numero I.*

In ejuſdem conſilii meditatione ſubſtitiſſe videtur R. P. Natalis Alexander, Ordinis Sancti Dominici Theologus Pariſienſis, cujus laborem fruſtrari nolim: ſed viam quam inivi, tam diligenter declinavit in explicandis Patrum Græcorum locis, & enucleandis difficultatibus antiquitatis Eccleſiaſticæ, ut hanc Hiſtoriam Confeſſionis, cum Diſſertatione polemica quam de Confeſſione ſacramentali adverſus Dallæum publici juris fecit anno MDCLXXIX. inſtitutorum & rationum maximam diſſimilitudinem habere, ab omnibus doctis atque eruditis Lectoribus perſpectum iri non dubitem.

Quinetiam hujuſce Lucubrationis promulgationi remoram imponere non debuit Diſſertatio, quæ nuper in lucem prodiit anno MDCLXXXI. doctiſſ. Dom. Emanuelis a Schelſtrate, Cantoris & Canonici Antuerpienſis, ad canonem II. Concilii Antiocheni capite IX. qua præclaris doctrinæ atque eruditionis acceſſionibus brevem Commentarium Joannis Fileſaci de Confeſsione auriculari eadem ſcribendi methodo amplifica-

* Quoniam autem res eſt nobis cum Catholicis, argumenta vulgata, licet invicta, quibus confeſſionis peccatorum mortalium neceſſitas demonſtratur, omnia prætermittimus.

vit: quippe cum omnia veterum Patrum & Conciliorum monumenta a Dallæo & aliis ejuſdem partis Scriptoribus objecta alto ſilentio prætermiſerit. Ea enim agendi ratione Opus de Confeſsione dimidio quidem affecit, ſed omnino & cumulate non abſolvit. Ego vero in ejuſmodi negotio non ſolum omne ſtudium, verum etiam omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem collocandam eſſe ſemper exiſtimavi. Adeoque duodeviginti abhinc annis & eo amplius, cum primum in publicum erupit tantulum Opus Dallæi de Confeſſione auriculari, ad illud excutiendum quanta potui diligentia incubui: & cum ætate adhuc viridi ac literis ſatis idonea, ab omni ſtudio partium ac curis reipublicæ liber viverem in ædibus Sorbonicis, ad ſtudia rerum ſacrarum & amorem veritatis vehementer accenſus, & ingenio alacris, viſcera antiquitatis Eccleſiaſticæ Græcæ & Latinæ totis viribus penetravi, & in lapidicinis penitus abſcondita ſaxa, ut loquuntur, multis conatibus effodi. Sed cum hæc omnia pene extracta eſſent, & dolabra ad extruendum ædificium efformanda; ædes Sorbonicæ incogitabili caſu injecto igne exarſerunt, & ſatis culta librorum ac ſchedarum mearum

Digitized by Google

ſupellex flammis conſumpta eſt anno MDC-LXXI. adeoque ſtudiorum meorum magna favilla triſtis exitus fuit: ipſo menſe ac fere die, quo me ad Eccleſiæ ſuæ procurationem, & in partem ſolicitudinis exciverat æternæ memoriæ Illuſtriſſimus Ludovic. Henricus Gondrinus, Archiepiſcopus Senonenſis, & Decanatus Eccleſiæ Metropolitanæ poſſeſſionem adeptus ſum.

At vero cum me tot curis diſtentum viderem, & ſatis ampla bibliotheca ſpoliatum, nihil magis a mente ac cogitatione alienum eſſe videbatur, quam libros ſcribere: maxime adverſus Calvinianæ ſuperſtitionis Miniſtros; homines quidem in literis ac ſtudiis laborioſos, ſed triſtes ac moroſos ſuarum opinionum quarum tenaciſſimi ſunt, defenſores. Verumtamen cum naturam quantumvis furca expellas, uſque recurrere non deſiſtat, ad ſtudia priſtina ac ſacras literas flammis Sorbonicis magis ſum inflammatus; & cum ipſa Chriſtianorum fortitudo, rerum perferendarum ſcientia ſit, & ſingulari Dei beneficio ſim animi affectione Legi ſummæ in rebus perpetrandis obtemperanti: non aliam inveni in deperditis libris conſolationem, quam novos redimere, ea de cauſa relictis ac poſtpoſitis inſtructi-

Digitized by Google

bus homini bonis Eccleſiaſticis tenuiter aucto parum congruentibus, & viro literato ac ſtudiis immerſo minus neceſſariis: cum præſertim Sacerdoti Chriſti nihil turpius accidere poſſit, quam nimio ſumptu contractis anguſtiis & tenuitate ſuſtentare vanitatem.

Utcumque res ſint, ſic ſarta ac reſtituta literaria noſtra ſupellectile, ille Præſul optimus, quicum familiaritate atque amicitia conjunctiſſimus eram, cujus voluntatem negligere non debebam, nec benevolentiam erga me ignorare poteram, a me contendit, ut Epiſcopatus cauſam tuendam reciperem, & injuriam contra ſanctiſſimum ordinem novo ſcelere conflatam vindicarem adverſus Autorem qui de Judiciis Canonicis Epiſcoporum incredibilia paradoxa vernaculo ſermone ſcripſerat: hominem continuo tempore celebri ſuarum opinionum explicatione (haud ſcio an retractationem dixerim) apud illuſtriſſimos Cleri Gallicani Epiſcopos facta famoſum anno MDCLXXXI. VI. Kalendas Maii.

At cum fortiſſimus Antiſtes e vivis exceſſerit XII. Kalendas Octobris MDCLXXIV. poſtquam illuſtriſſimus Succeſſor ſedem Senonenſem occupavit, prima cogitata de confeſſione auriculari, a quibus tot abhinc

Digitized by Google

annis deſtiteram, in mentem recurrerunt; atque ad ea perficienda vehementer incitatus fui, tum ſtudiis plerumque rerum ſacrarum & Theologicarum abundanter iteratis, cum ſapientibus conſiliis Præceptoris olim noſtri, Jacobi Sambœuvii, Cleri Gallicani Conſultoris doctiſſimi, ac Profeſſoris Sorbonici celeberrimi, qui excuſſa quadam Lucubratione de Contritione mihi adſcripta, alterius de Confeſſione ſcribendæ autor fuit, ratus diſcipulum ſuum inanem non rediiſſe, nec dedecorantem Scholæ autoritatem aut Magiſtri.

His ergo rationibus inſtigatus atque amore veritatis, quam Dallæus de induſtria Græcis ac Latinis conopeis occuluit, atque infinitis antiquitatis tegetibus ac ſtragulis intricavit, conſilium de hoc Opere ſuſceptum quanta potui diligentia & accuratione perfeci.

Spero autem fore, Lector erudite, ut faciliter animadvertas quantum laboris ac meditationis in veterum inſtrumentorum diſcuſſione ac delectu collocaverim, ut nihil doctrinæ Eccleſiæ catholicæ quam in hoc Opere tuendam recepi, conducibile prætermitterem. Quamobrem non ſolum Catholicorum virorum, verumetiam homi-

Digitized by Google

num Proteſtantium, qui artes honeſtiſſimas colunt, & etiamſi hæretici ſint, Græcis ac Latinis literis non intemperanter abutuntur, judicium hac in cauſa non ejurandum eſſe mihi perſuadeo: ſiquidem bene ac ſapienter annuere velint ſuis Miniſtris, ac ſincere recognoſcere, * *Id quod omnes Chriſtiani omni ætate & omnibus ſæculis in omnibus locis crediderunt, eſſe doctrinam catholicam, Apoſtolicam & orthodoxam, adeoque diligenter in Eccleſia cuſtodiendam, tanquam ſacrum depoſitum, cujus aliquando rationem Domino reddituri ſumus.* Hanc enim eſſe inſtituti Operis mei rationem ex capite I. faciliter intelliges. Cæterum ſi Calvinus ipſe inter vivos rediret, non dubito quin ex hac Hiſtoria Confeſſionis, quam præ manibus habes, LECTOR OPTIME, in qua nihil veri dicere timui, nihil falſi dicere auſus ſum, ſuæ ſententiæ perſeverantiam retineret adverſus ipſummet Dallæum: ſiquidem ingenue fateri non renuit, vetuſtiſſimum eſſe uſum confeſſionis auricularis, libro III. Inſtitutionis, capite IV.

* *Conſiderations ſur la nature de l'Egliſe. Par M. Larroque Miniſtre de Quevilly. Imprimé à Rouën par Iean Lucas en l'année* MDCLXXIII. *approuvé par les ſieurs de Langle Miniſtre à Rouën, & Vauquelin Miniſtre à Dieppe, chap.* XIII. *pag.* 204 Car je ſuis perſuadé que ce qui a toûjours eſté crû par tous les Chreſtiens de tous les ſiecles & de tous les lieux, eſt une doctrine catholique, Apoſtolique & orthodoxe : doctrine par conſequent que l'on doit garder ſoigneuſement dans l'Egliſe, comme un ſacré dépoſt, dont nous avons à rendre compte un jour à Noſtre Seigneur.

Digitized by Google

numero 7. pag. 217. aut eum ſaltem inter eos Decanos & Canonicos me recenſere tæderet, quos libri IV. ejuſdem Inſtitutionis cap. v. numero 10. pag. 390. Eccleſiæ Romanæ otioſos ventres appellat.

Supereſt jam, ut Lector catholicus, fortaſſe nimis accurate dicendi in rebus Theologicis amore inſtigatus, admonitioni meæ non abnuat, qua ipſum pro ſua æquitate & humanitate rogo, ut intelligat me neutiquam repugnare ſententiæ Concilii Tridentini ſeſſ. XIV. cap. v. qua docet confeſſione ſecreta ſacramentali ab initio Eccleſiam ſanctam uſam eſſe, & eam qua modo etiam utitur, fuiſſe ſemper commendatam; cum dixi hujus Operis capite VI. pag. 112. ſubſtantiam dogmatis Eccleſiæ Romanæ in neceſsitate confeſſionis peccatorum lethalium conſiſtere, palam autem, & modo clam mutatis vicibus factam fuiſſe. Inſuper etiam cum dico capite II. pag. 19. ſpecie quadam mortalis interdictionis a communione, a corpore Chriſti myſtico olim ſeparatos fuiſſe peccatores; non intelligo pœnitentes, ſed contumaces & induratos, ab omni reſipiſcentia & pœnitentia abhorrentes, quos Theologi impœnitentes appellare ſolent.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. INSTITUTI *operis ratio. Confeſſionis auricularis origo. Certa concluſiones ex hac Lucubratione aſſumenda.* pag. 1

CAP. II. *Pluribus Eccleſia primitiva ſaculis plerumque ſecretorum peccatorum graviorum rei, ex uſu & conſuetudine recepta, pœnitentiam publicam egerunt.* 8

CAP. III. *Diluuntur objectiones Dallai & ſectatorum ejus, adverſus ſententiam capite quod anteceſſit, comprobatam.* 52

CAP. IV. *Probatur, confeſſionem auricularem uſu receptam fuiſſe primis Eccleſia ſaculis, S. Dionyſii, S. Clementis Romani, & S. Irenai explicationibus.* 64

CAP. V. *Explicantur ſententia Tertulliani & Origenis, probaturque, annis Chriſti* CCXV. *&* CCLIV. *confeſſionem peccatorum lethalium uſu receptam fuiſſe.* 75

CAP. VI. *Explicatur ſententia S. Cypriani Martyris, Carthaginenſis Epiſcopi, de confeſſione ſeu exomologeſi peccatorum.* 103

CAP. VII. *Argumentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Caſarienſis aſſumptum, Lactantius Firmianus, & Concilium Laodicenſe explicantur.* 113

Digitized by Google

CAP. VIII. *Explicantur S. Hilarius Pictavienſis, & S. Athanaſius. Argumentum aſſumitur ex S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diacono.* 124

CAP. IX. *Explicantur SS. Patres, Baſilius Magnus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Gregorius Nazianzenus, Pacianus Barcinonenſis, Gregorius Nyſſenus: & invictiſſima argumenta ex eorum Lucubrationibus aſſumuntur.* 138

CAP. X. *Aſſumitur argumentum ex inſtitutione & abdicatione Presbyteri Pœnitentiarii tempore Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani facta, ad comprobandum ex antiqua rerum eccleſiaſticarum memoria, uſu receptam fuiſſe confeſſionem auricularem.* 156

CAP. XI. *Explicatur S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis.* 170

CAP. XII. *Probatur confeſſionis auricularis uſus ex S. Ioanne Chryſoſtomo.* 181

CAP. XIII. *Tredecim loci S. Chryſoſtomi ſpecie difficiles & obſcuri, adverſus confeſſionem auricularem a Dallæo prolati, in gratiam ejuſdem, ex Græci textus & Latini collatione, ex iis quæ antecedunt & conſequuntur, ſincere & faciliter explicantur.* 192

CAP. XIV. *Quædam minoris momenti ex S. Chryſoſtomo objecta continua explicatione*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. INSTITUTI *operis ratio. Confeſſionis auricularis origo. Certæ concluſiones ex hac Lucubratione aſſumendæ.* pag. 1

CAP. II. *Pluribus Eccleſiæ primitivæ ſæculis plerumque ſecretorum peccatorum graviorum rei, ex uſu & conſuetudine recepta, pœnitentiam publicam egerunt.* 8

CAP. III. *Diluuntur objectiones Dallai & ſectatorum ejus, adverſus ſententiam capite quod anteceſſit, comprobatam.* 52

CAP. IV. *Probatur, confeſſionem auricularem uſu receptam fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, S. Dionyſii, S. Clementis Romani, & S. Irenæi explicationibus.* 64

CAP. V. *Explicantur ſententiæ Tertulliani & Origenis, probaturque, annis Chriſti* CCXV. *&* CCLIV. *confeſſionem peccatorum lethalium uſu receptam fuiſſe.* 75

CAP. VI. *Explicatur ſententia S. Cypriani Martyris, Carthaginenſis Epiſcopi, de confeſſione ſeu exomologeſi peccatorum.* 103

CAP. VII. *Argumentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis aſſumptum, Lactantius Firmianus, & Concilium Laodicenſe explicantur.* 113

Digitized by Google

CAPITUM.

CAP. VIII. *Explicantur S. Hilarius Pictavienſis, & S. Athanaſius. Argumentum aſſumitur ex S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diacono.* 124

CAP. IX. *Explicantur SS. Patres, Baſilius Magnus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Gregorius Nazianzenus, Pacianus Barcinonenſis, Gregorius Nyſſenus: & inviſtiſſima argumenta ex eorum Lucubrationibus aſſumuntur.* 138

CAP. X. *Aſſumitur argumentum ex inſtitutione & abdicatione Presbyteri Pœnitentiarii tempore Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani facta, ad comprobandum ex antiqua rerum eccleſiaſticarum memoria, uſu receptam fuiſſe confeſſionem auricularem.* 156

CAP. XI. *Explicatur S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis.* 170

CAP. XII. *Probatur confeſſionis auricularis uſus ex S. Ioanne Chryſoſtomo.* 181

CAP. XIII. *Tredecim loci S. Chryſoſtomi ſpecie difficiles & obſcuri, adverſus confeſſionem auricularem a Dallæo prolati, in gratiam ejuſdem, ex Græci textus & Latini collatione, ex iis quæ antecedunt & conſequuntur, ſincere & faciliter explicantur.* 192

CAP. XIV. *Quædam minoris momenti ex S. Chryſoſtomo objecta continua explicatione*

Digitized by Google

diluuntur. 237
CAP. XV. *Explicantur Marcus Eremita, & Innocentius Papa I.* 244
CAP. XVI. *Probatur, ætate S. Hieronymi & S. Auguſtini exiſtimatam fuiſſe confeſſionem auricularem neceſſariam ad obtinendam peccatorum veniam, adeoque uſu continuo receptam fuiſſe.* 255
CAP. XVII. *Explicatur Canon* XLIII. *Codicis Eccleſiæ Africanæ. Fides Sozomeni de confeſſione auriculari vindicatur ab inſigni corruptela Dallæi.* 273
CAP. XVIII. *Explicantur Caſſianus, Autor Librorum de Vita contemplativa, & Theodoretus* 283
CAP. XIX. *Argumentum aſſumitur a Sancto Leone Papa I. Diluuntur objectiones ex eodem S. Leone, & S. Laurentio Novarienſi, a Dallæo propoſitæ.* 293
CAP. XX. *Explicantur S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Canon* VIII. *Concilii Cabilonenſis celebrati anno Chriſti* DCL. *& Canon* CII. *Concilii Quiniſexti in Trullo.* 303
CAP. XXI. *Explicatur S. Ioannes Climacus, Abbas Monaſterii Montis Sinai, anno Chriſti* DLXXX. 310
CAP. XXII. *Confeſſionis auricularis uſus tempore S. Gregorii Magni Papæ I. continuò*

Digitized by Google

receptus comprobatur. 317

CAP. XXIII. *Explicantur ſententiæ Venerabilis Bedæ, S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi, & Nicephori Chartophylacis.* 324

CAP. XXIV. *Alcuinus Diaconus & Abbas, Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, Paſchaſius Radbertus Corbcienſis Abbas, Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, explicantur.* 343

CAP. XXV. *Explicantur Concilium Turonenſe III. celebratum anno Chriſti* DCCCXIII. *Pontificatus Leonis III. anno* XVIII. *imperii Caroli Magni* XIII. *regni* XLV. *& Cabilonenſe II. eodem anno.* 348

CAP. XXVI. *Explicatur Concilium Pariſienſe VI. celebratum anno Chriſti* DCCCXXIX. 357

CAP. XXVII. *Explicatur locus Theodori Studitæ, aſſumptumque ex eo a Bellarmino argumentum vendicatur confeſſioni auriculari propitium.* 361

CAP. XXVIII. *Intercluduntur effugia quæ ſibi Dallæus propitia exiſtimavit apud Rabanum Archiepiſcopum Moguntinum. Explicantur Concilia Moguntinum anni* DCCCXLVII. *& Wormatienſe anni* DCCCLXVIII. 366

CAP. XXIX. *Uſum perpetuum confeſſionis auricularis comprobant, Angelomus Monachus anno* DCCCL. *Radulphus Flaviacenſis anno*

Digitized by Google

DCCCCX. *Petrus de Honeſtis Cardinalis Damiani, Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, S. Bernardus, Hugo & Richardus S. Victoris, Petrus Cluniacenſis, Petrus Bleſenſis, & Petrus Cellenſis. Objectiones a Dallæo ex Petro Lombardo & Gratiano aſſumpta diluuntur.* 376

CAP. XXX. *Probatur invictiſſime argumentis aſſumptis ex hiſtoria Concilii Lateranenſis anno Chriſti* MCCXV. *celebrati ſub Innocentio III. tunc temporis natam non fuiſſe confeſſionem auricularem, ut docet Dallæus libro* IV. *de Confeſſione capite* 24. *adeoque perperam & invidioſe ſemper ab ipſo Innocentianam appellatam fuiſſe.* 391

AUTORES ET VIRI ILLUSTRES in Hiſtoria Confeſſionis auricularis laudati.

A

GABR. Albaſpinæus, Epiſcopus Aurelianenſis.

Alcuinus, Abbas.

Alexander III. Papa.

Natalis Alexander. *in Præfat.*

S. Ambroſius, Epiſcopus Mediolanenſis.

Ambroſius Florentinus, Camaldulenſium Præfectus generalis.

Amphilochius.

Anaſtaſius Sinaita.

Angelomus, Monachus.

S. Anſbertus, Rothomag. Epiſcopus.

S. Antoninus, Archiepiſcopus Florentinus.

Apoſtolorum Canones.

Aquiſgranenſis Concilii Patres.

Ariſtenus.

Anton. Arnaldus, Doctor Sorbonicus.

S. Athanaſius, Alexandr. Epiſcopus.

S. Audoenus, Rothomag. Epiſcopus.

S. Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus.

Anton. Auguſtinus.

Autor Librorum de Vita contemplativa.

Autor Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti.

Autor Vitæ S. Remigii.

B

BALSAMON.

Baluzius.

Baronius, Cardinalis.

S. Baſilius Magnus.

Venerab. Beda.

Bellarminus, Cardinalis.

S. Bernardus.

Berthelmus.

Beſſarion, Cardinalis.

Betuleius.

Theodor. Beza.

Jac. Billius, Abbas S. Michaelis in Eremo.

S. Bonaventura.

Bucerus.

Budæus.

Digitized by Google

C

CABILONENSE I. Concilium, anno Chriſti DCL.
Cabilonenſe II. Concilium, anno Chriſti DCCCXIII.
S. Cæſarius, Arelatenſis Epiſcopus.
Joann. Calvinus.
Henr. Caniſius.
Capito.
Carolus Magnus.
Carthaginenſe III. Concilium, anno Chriſti CCCXCVII.
Carthaginenſe VI. Concilium, anno Chriſti CCCCXIX.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Celſus.
Niceph. Chartophylax.
Chriſtophorſonus.
Chrodogangus.
S. Joan. Chryſoſtomus.
Cicero.
S. Clemens, Romanus Pontifex.
Clemens III. Papa.
S. Joan. Climacus.
Rob. Cocus.
Franc. Combefis.
Conſtantinopolitanum in Trullo Concilium Quiniſextum, anno Chriſti DCXCII.
Cornelius Papa.
Joan. Bapt. Cotelerius, Socius Sorbonicus.
S. Cyprianus, Carthag. Epiſcopus.
Cyrillus.

D

LUc. Dacherius.
Dallæus.
Petr. de Honeſtis, Cardinalis Damiani.
David, Propheta.
S. Dionyſius.

E

JOANN. Eckius. *in Præfat.*
Eduardus VI. Angliæ Rex.
Egbertus, Eboracenſis Epiſcopus.
Ekkeardus Junior.
S. Eligius, Noviomenſis Epiſcopus.
Epheſina Synodus, anno Chriſti CCCCXXXI.
S. Ephrem, Diaconus Edeſſenæ Eccleſiæ.
Ephrem, Patriarcha Antiochenus.

Digitized by Google

Epictetus, Philoſophus.
S. Epiphanius.
Epiphanius Scholaſticus.
Epiſcopius.
Deſid. Eraſmus.
Eudæmon.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſtathius, Metropolitanus.

F

FABIUS Quintilianus.
Felix Urgellitanus.
Joan. Fileſacus, Doctor Sorbonicus. *in Præfat.*
Joan. Fiſcherus, Roffenſis Epiſcopus. *ibid.*
Barth. Fiſſenus.
Frobenius.
Fronto Ducæus, Jeſuita.

G

SERVAT. Gallæus.
Genebaldus, Laudun. Epiſcopus.
Gennadius.
Goffridus, Abbas Vindocinenſis.
Henr. Gondrinus, Archiepiſc. Senonenſis. *in Præfat.*
Gratianus.
S. Gregorius Thaumaturgus, Neocæſarienſis Epiſcopus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Turonenſis.
Joan. Gropperus, Cardinalis.
Hugo Grotius.
Simon Grynæus.
Guillelmus, Præceptor Goffridi Vindocinenſis.

H

HENRICUS VIII. Angliæ Rex. *in Præfat.*
Hermannus, Colonienſis Archiepiſc. *ibid.*
S. Hieronymus.
Hilarius Diaconus.
S. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus.
S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus.
Hildeboldus, Epiſcopus Sueſſionenſis.
Hincmarus, Remenſis Archiepiſcopus.
Petr. Dan. Huetius.
Hugo S. Victoris.
Laurent. Humfridus.

I

SANCTUS Jacobus.
Jeremias, Propheta.

Illiberitanum Conciliũ.
S. Innocentius I. Papa.
Innocentius III. Papa.
S. Joannes Evangeliſta.
Joannes, Abbas Raythu.
Joannes XXII. Papa.
Joannes Jejunator.
Joannes, Patriarcha Antiochenus.
S. Irenæus, Lugdunenſis Epiſcopus.
Iſaias, Propheta.
S. Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus.
Juſtinianus Imperator.

L

Labbeus, Jeſuita.
Lactantius Firmianus.
Lanfrancus, Archiepiſc. Cantuarienſis.
Langus.
Laodicenum Concilium, anno Chriſti cccxx.
Larroque. in Præfat.
Lateranenſe III. Concilium, anno Chriſti MCLXXIX.
Lateranenſe IV. Concilium, anno Chriſti MCCXV.
Joan. Launoius.
S. Laurent. Novarienſis.
S. Leo Magnus.
Letoius, Melitenes Epiſc.
Petrus Lombardus.
S. Lucas, Evangeliſta.
Mart. Lutherus. *in Præf.*

M

Joan. Mabillonius.
S. Marcus, Evangeliſta.
Marcus Eremita.
S. Matthæus, Evangeliſta.
S. Maximus Taurinenſis.
Philipp. Melanchthon.
Mileviranum II. Concilium, anno Chriſti CCCCXVI.
Moguntinum I. Concilium, anno Chriſti DCCCXLVII.
Petr. Molinæus.
Claud. Morellus.
Guill. Morellus.
Joan. Morinus.
Moronus, Cardinalis. *in Præfat.*
Sebaſt. Munſterus.
Wolfg. Muſculus.

N

Nathan, Propheta.
Naucratius, Confeſſor.
Nectarius, Conſtantinopolitanus Epiſcop.
Neocæſarienſe Concil.

Digitized by Google

Nicænum II. Concilium, anno Chriſti DCC-LXXXVII.
Nicephorus Chartoph.

O

OCEANUS.
Origenes.

P

SANCTUS Pacianus, Barcinonenſis Epiſc.
Jac. Pamelius.
Pariſienſe VI. Concilium, anno Chriſti DCCCXXIX.
S. Paſchaſius Rædbertus.
Paulinus, Preſbyter Mediolanenſis.
S. Paulus Apoſtolus.
Paulus IV. Papa. *in Præf.*
Perkinſus.
Dion. Petavius, Jeſuita.
Alex. Petavius.
Jac. Petitus.
Petrus Cluniacenſis.
Petrus Bleſenſis.
Petrus Cellenſis.
Photius, Conſtantinopolitanus Archiepiſc.
Pius V. Papa. *in Præfat.*
Plato, Philoſophus.
S. Plato, Confeſſor.
Plautus.
Plutarchus.
Pœnitentiales Codices, Romani, Andegavenſes, & Egberti.
Joan. de Poliaco.
Julian. Pomerius.
S. Proſper, ſive Autor Librorum de Vita contemplativa.

Q

PASCHAS. Queſnellus.
Fab. Quintilianus.

R

RABANUS Maurus.
Matth. Raderus, Jeſuita.
Radulphus, Flaviacenſis.
Joannes, Abbas Raythu.
Remenſe II. Concilium, anno Chriſti DCCCXIII.
S. Remigius, Remenſis Archiepiſcopus.
Autor Vitæ S. Remigii.
Beatus Rhenanus.
Richardus S. Victoris.
Rigaltius.
Rivetus.
Rufinus.

S

JAC. Sambœuvius, Doctor Sorbonicus. *in Præfat.*
Satarnius.
Savilius.
Scapula.

Eman. a Schelſtrate.
Schrevelius.
Abraham. Scultetus.
Seneca, Philoſophus.
Seneca, Tragicus.
Sigebertus.
Simplicianus.
Jac. Sirmondus, Jeſuita.
Socrates Scholaſticus.
Sozomenus.
Joan. Caſp. Suicerus.
Laurent. Surius.

T

TERTULLIANUS.
Theodoretus, Epiſcopus Cyri.
Theodorus Studites.
Theodorus, Cantuarienſis Archiepiſcopus.
Theodulphus, Aurelianenſis Epiſcopus.
Theophanes Cerameus.
S. Thomas Aquinas.
Thucydides.
Tridentinum Concilium.
Turonenſe III. Concilium, anno Chriſti DCCCXIII.

V

HENRIC. Valeſius.
Vaſenſe I. Concilium, anno Chriſti CCCCXLII.
Venerius, Mediolanenſis Epiſcopus.
Marian. Victorius, Epiſc. Amerinus. *in Præfat.*
Victricius, Epiſcopus Rothomagenſis.
Vincentius Lirinenſis.
Virgilius.
Univerſitas Pariſienſis.
Gerard. Voſſius, ſive *Volkens*, Præpoſitus Tungrenſis.
Gerard. Joan. Voſſius.
Jac. Uſſerius Armachanus.
Waſelinus, Abbas.
Henr. Weſtenius.
Wormatienſe Concilium, anno Chriſti DCCCLXVIII.

Z

ZONARAS.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, *A nos amez & féaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Senéchaux, Prevoſts, & leurs Lieutenans, & tous autres nos Officiers & Iuſticiers qu'il appartiendra,* SALUT. *Noſtre cher & bien-amé le Sieur* JACQUES BOILEAU, *Preſtre, Docteur en Theologie de la Maiſon & Societé de Sorbonne, Doyen & Chanoine de l'Egliſe Metropolitaine de Sens, Nous a fait remontrer qu'il a composé un Livre intitulé :* Hiſtoria Confeſſionis auricularis ex antiquis Scripturæ, Patrum, Pontificum & Conciliorum monumentis cum cura & fide expreſſa, *qu'il deſireroit faire imprimer, s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres ſur ce neceſſaires.* A CES CAUSES, *deſirant traiter favorablement l'Expoſant, & luy donner des marques de noſtre bienveillance en conſideration de ſon merite & de ſon ſçavoir, Nous luy avons permis & accordé, & par ces Preſentes luy permettons & accordons de faire imprimer ledit Livre en tel volume, marge, & caractere, autant de fois, & par tel Imprimeur ou Libraire que bon luy ſemblera, & de le faire vendre & diſtribuer par tout noſtre Royaume pendant le temps de vingt années conſecutives, à compter du jour qu'il ſera achevé d'imprimer. Faiſons défenſes à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer, faire imprimer, vendre & diſtribuer ledit Livre, en quelque forme & grandeur, & ſous quelque pretexe que ce ſoit, meſme d'impreſſion étrangere, ou autrement, ſans le conſentement exprés dudit Expoſant, ſur peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, trois mille livres d'amende payables ſans déport par chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſtel-Dieu, & l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts. A la charge d'en mettre deux exemplaires dans noſtre Bibliotheque, & un en celle de noſtre tres-cher & féal le Sieur le Tellier, Chevalier Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes; & qu'elles ſeront regiſtrées dans le Livre de la Communauté des Libraires de noſtre ville de Paris en la maniere accoûtumée. Du contenu deſquelles vous mandons faire joüir & uſer ledit Expoſant pleine-*

Digitized by Google

ment & paiſiblement, ceſſant, & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Livre un Extrait des Preſentes, elles ſoient tenuës pour dûëment ſignifiées à qui il appartiendra. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous exploits neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires : CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. *Donné à Verſailles le treiziéme Février, l'an de grace mil ſix cens quatre-vingts trois, & de noſtre regne le quarantiéme. Signé, Par le Roy,* THOMAS.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 16. Fevrier 1683. *Signé*, C. ANGOT, *Syndic.*

APPROBATIO DOCTORUM.

NOs infraſcripti Doctores ſacræ Facultatis, certum facimus, hanc Confeſſionis auricularis Hiſtoriam rectæ fidei boniſque moribus nihil adverſum continere : quin imo valde perutilem Catholicis declaramus, & neceſſariam ad illam partem Pœnitentiæ æſtimandam, quam Novatores, atque inter eos præcipue Joannes Dallæus, convellere conati ſunt. Unde ſi quævis Hiſtoria legentibus proficua eſt, modo ad animum dirigendum referatur : ita ſperamus in tam laudatiſſima praxi confeſſionis auricularis ex ipſius Hiſtoria animos Catholicorum obfirmandos; in qua Autor veritatis catholicæ ſtudioſos, filo traditionis non interrupto, uſque ad illius originem ſatagit conducere, atque ex varia lectione ſanctorum Patrum, ſicut apes ex floribus, exſugere fructum valde ſalutarem hujus diſciplinæ, & varia illa libamenta, ingenii ſui ſtudio & opera, in unum ſuccum confundere, ac poſtea publico exponere, tanquam antidotum adverſus veneficium erroris. Judicium ergo noſtrum eſt, ut hæc Hiſtoria, tanquam catholica, typis committatur, ut in uſum fructumque plurimorum quamprimum appareat. Datum Lutetiæ v. Nonas Julii an. Dom. M. DC. LXXXIII.

JOANNES BAPTISTA CHASSEBRAS, Archip. Pariſ. Paſtor S. Mariæ Magdalenæ.

A. FAURE.

HISTORIA

Digitized by Google

HISTORIA CONFESSIONIS AURICULARIS

EX ANTIQUIS SCRIPTURÆ, Patrum, Pontificum & Conciliorum monumentis cum cura & fide expreſſa.

CAPUT I.

Inſtituti operis ratio. Confeſſionis auricularis origo. Certæ concluſiones ex hac lucubratione aſſumendæ.

HISTORIAM confeſſionis auricularis cum primum ad ſcribendam animum appuli, conſilium meum non fuit ratiocinationes ſcholaſticas ad examen revo-

Digitized by Google

care, quibus antiqui recentioreſque Theologi à Chriſto Domino inſtitutam fuiſſe poſt Baptiſma peccatorum confeſſionem ad obtinendam veniam, comprobant; aut incudi reddere vitilitigationes, quarum ope homines Proteſtantes, ſeu ſuperſtitionis Calvinianæ Scriptores, veritatis vim eludere ſolent. Enimvero hæc omnia tot jam libris tractata ſunt, ut de iis iterum ſcribere (cùm nihil aliud ſit quam palimpſeſtum corradere) ſupervacaneum ſit. Integra igitur inſtituti operis noſtri ratio eſt, ut ex eo, quotquot ſunt homines docti atque pudentes, intelligant, ab origine rerum Chriſtianarum fideles nunquam remiſſionem ſibi poſt Baptiſmum lapſos comparaſſe, prætermiſſa peccatorum ſuorum declaratione ſeu confeſſione apud miniſtros Eccleſiæ: hoc eſt, ab eo tempore, quo Chriſtus Dominus, poſtquam mirabiliter revixit, in ſuorum Apoſtolorum poteſtate peccatorum remiſſionem reliquit, uti ex S. Joannis cap. xx. ℣. 21. 22. & 23. perſpectum ſibi ipſis Proteſtantes non renuunt. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Digitized by Google

Conſilium igitur meum eſt hanc veritatem invictiſſime comprobare per manus à majoribus noſtris ab ineunte ætate Eccleſiæ traditam, Patrumque ac Conciliorum atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis confirmare; ex quorum aſſumptione conceſſa, concluſiones, quæ continuo ſermone habentur, conſequi neceſſe eſt.

I. Concilii Tridentini Patres ſeſſione XIV. capite 5. jure merito conceptis verbis hoc decretum prodidiſſe. *Ex inſtitutione ſacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter* JESUS-CHRISTUS *e terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.*

II. Cum ex verbis Chriſti peccata ſecre-

Digitized by Google

ta æque huic poteſtati Apoſtolorum, ac publica & manifeſta, ſubjecta intelligantur: fatente Dallæo, peccatores qui pœnitentiam ſeu exomologeſim à Sacerdotibus olim petebant, debuiſſe eos de ſuis delictis docere, eaque apud illos confiteri, quoniam aliter de iis ſtatuere, canonicaſve pœnas imponere iis recte ac legitime non potuiſſent; peccata ſecreta lethalia æquabiliter fuiſſe quæcumque confeſſioni obnoxia. Hæc ſunt verba Joann. Dallæi, ex quibus intelligere facile eſt, Patrum Tridentinorum ratiocinationem eſſe certam & ad regulam rectæ rationis bene & accurate directam. Lib. III. de Confeſſione capite 4. pag. 210. & 211. *Equidem concedo Paſtores de eorum delictis, quibus exomologeſim indicebant, aliquid inaudiviſſe ac tenuiſſe: neque enim aliter de iis ſtatuere, canonicaſve pœnas recte ac legitime iis imponere potuiſſent. Itaque & illud quod inde neceſſario conſequitur, libens quoque concedo, ſi quis pœnitentiam ſive exomologeſim facere vellet, cum inprimis Paſtores adire, eos de ſuis delictis docere, atque adeo apud illos confiteri debuiſſe.*

III. Cum ejuſmodi ratiocinationem aſſumat Miniſter pro peccatis publicis, non poſſe eam repudiare pro ſecretis; adeoque inſulſam & contra ſenſum communem homi-

Digitized by Google

num eſſe comparationem Patrum Tridentinorum cum chymicis qui ex pumice aquam multo labore exprimunt, quam profert lib. 1. de Confeſſione cap. 3. pag. 11. lin. 25. *Iſti dialecticarum argutiarum vi per multas longiſſime petitas, ut vocant, conſequentias ſuam illam confeſſionem, ut ex pumice aquam chymici, multo ſuo labore, nulla aut perquam tenui audientis aſſenſione & perſuaſione extundunt verius quam colligunt.*

IV. Incredibilem eſſe cogitationem Dallæi atque hominis qui de poteſtate mentis exceſſerit, qua toto lucubrationis ſuæ de Confeſſione contextu infinitis locis contendit, ab Innocentio III. Pontifice Romano anno MCCXV. in Concilio IV. Lateranenſi canone XXI. *Omnis utriuſque ſexus.* primum inſtitutam fuiſſe confeſſionem auricularem, atque eo tempore caput e ſtagno antiquitatis protuliſſe: ſed immo antiquæ confeſſionis tempus, circumſtantias & conditiones tantummodo defixas fuiſſe, ne decidentibus moribus inſtituta majorum & Apoſtolorum neglecta langueſcerent aut perirent.

V. Hac ſubjecta & invictiſſime ſtabilita traditione, (quam à nullis Græce & Latine ſcientibus hominibus partium Proteſtantium repudiatum iri confido) omnibus Catholicis

Digitized by Google

Theologis jus eſſe vindicatum & aſſertum ad concludendum contra confeſſionis adverſarios, & transferendum quod olim contra Donatiſtas dixit Auguſtinus, concepta verba Scripturæ in rem pædobaptiſmi efflagitantes. Lib. IV. contra Donatiſt. cap. 24. *Etſi quiſquam in hac re autoritatem divinam quærat, quamquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur: tamen veraciter conjicere poſſumus, quid valeat in parvulis Baptiſmi ſacramentum ex circumciſione carnis, quam prior populus accepit, &c.*

Præterea explicationem quam verbis ſancti Joannis capite XX. inducimus, non ſolum certam, verumetiam veriſſimam eſſe: ſiquidem ex hac lucubratione faciliter intelligatur, quod finitum ac decretum fuit in Concilio Tridentino de confeſſione auriculari, id eſſe quod ait Vincentius Lirinenſis Commonitorii 1. capite 3. *Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc enim quod vere proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſi-*

tatem hoc modo : ſi hanc fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero ita : ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos majores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem : ſi in ipſa vetuſtate omnem vel certe omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitionem ſententiaſque ſequamur.

Verumenimvero antequam ad hoc argumentum perveniamus, actaque Conciliorum, & Pontificum ac Patrum ſcripta ſigillatim ϗ παννύχιοι excutiamus, quibus orbem Chriſtianum ſpatio mille & trecentorum annorum illuſtrarunt : non ſolum opus, verumetiam neceſſe mihi viſum eſt probare antiquum Eccleſiæ Catholicæ uſum ſeu aſceſim fuiſſe pluribus ſæculis agendi pœnitentiam publicam pro quibuſdam peccatis ſecretis & occultis. Id vero meis inſtitutis congruere potiſſimum exiſtimavi, cum præſertim ex eo quod id fieri non potuiſſe atque incredibile eſſe, ſubjecerit Dallæus, in infinitos errorum ſulcos ex eo fonte ac principio diductos lapſus ſit, atque hac arte ſibi continuo latebras atque effugia procuraverit.

CAPUT II.

Pluribus Eccleſiæ primitivæ ſæculis plerumque ſecretorum peccatorum graviorum rei, ex uſu & conſuetudine recepta, pœnitentiam publicam egerunt.

QUAMVIS ex continuo ſermone hujuſce lucubrationis hæc veritas faciliter intelligatur: adeo tamen rebus probandis & dogmatibus in hoc opere conſtituendis conducibilis eſt, ut eam ſingulari capite confirmare opus eſſe videatur. Joannes Dallæus cum ſibi perſuaſerit ex ea totum Romanæ Eccleſiæ dogma de confeſſione auriculari pendere, ſeu in uſu antiquo pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis conſiſtere, hanc quæſtionem intime penetravit, atque omnem machinam movit lib. IV. de Confeſſione, ut hanc ſententiam, quam tuendam recepi, frangeret: ratus hac arte ſolo ſibi adæquari ſalebras, ut peccata publica ſolitaria confeſſioni obnoxia fuiſſe demonſtraret, ſi ſecreta & occulta ab hac ſpecie pœnitentiæ libera & immunia comprobaſſet; adeoque dogma Concilii Tridentini penitus expungeret, quo

Digitized by Google

peccata omnia mortalia, omni diſcrimine publici & occulti remoto, confeſſione ſigillatim eluenda neceſſario conſtituuntur.

Verumenimvero ne graculi inſtar pennas quæ pavoni deciderunt, quibuſdam ſuſtuliſſe videar, atque iis me, quod pleriſque Scriptoribus accidit, exornaſſe: rotunde fateor doctiſſimum noſtræ Sorbonæ Socium Antonium Arnaldum hanc materiam tractaſſe & expoliviſſe quatuor capitibus II. partis libri de Frequenti Communione, ac poſitæ quæſtioni manum admoviſſe doctiſſimum Oratorii Domini JESU Preſbyterum Joannem Morinum libro V. Hiſtoriæ ſuæ Sacramenti Pœnitentiæ. Sed cum Dallæus ad argumenta Arnaldi reſpondere animo intenderit, ac de Morini Lucubratione annos decem ante Miniſtri opus de Confeſſione, typis expreſſa nullam mentionem fecerit; ſpero me a crimine plagii ab æquis lectoribus facile liberum exiſtimatum iri, ſi jam argutias Dallæi & aliorum Arnaldi & Morini adverſariorum confutandas receperim. Sed antequam iſtiuſmodi materiæ viſcera ſpectem atque intime penetrem, ſubjicere neceſſe eſt, cum dicimus veteris Eccleſiæ aſceſim fuiſſe primis ſæculis peccata occulta

Digitized by Google

graviora mortalia, publica pœnitentia eluere, non eo ſpectare aut animo intendere, ut probare velimus ſolemnem ac ceremonialem illam pœnitentiam veteribus Canonibus explicatam, præſcriptam fuiſſe omni generi peccati. Fatemur enim perlibenter, præter idolorum cultores, mœchos & homicidas, paucos peccatores gradus pœnitentiæ, quorum primus mentionem fecit S. Gregorius Thaumaturgus Epiſcopus Neocæſarienſis, peragraſſe, quos appellat * *πρόσκλαυσιν fletum, ἀκρόασιν auditionem, ὑπόπτωσιν ſubjectionem, σύστασιν conſiſtentiam, & μέθεξιν τῶν ἁγιασμάτων participationem Sacramentorum* : ſimiliterque ritum obſervatum fuiſſe præſcriptum anno Chriſti CCCXCVII. in Concilio Carthaginenſi canone X. XLIII. Codicis Eccleſiæ Africanæ, de impoſitione manuum ante abſidem, de quo plura dicturi ſumus cap. XV. hujus operis. Revera enim intelligimus, ejuſmodi rituum impoſitam non fuiſſe neceſſitatem pœnitentibus, niſi ſcelerum ac criminum capitalium reis, ex genuina Epiſtola ſancti Gregorii Nyſſeni ad Letoium infinitis hujuſce libri locis laudanda, cum præſertim ea nos docuerit, multa ſuperfuiſſe peccata, quibus nullas pœnas veteres Canones impoſuerant, pœnitentia ad arbitrium

* *Epiſtolæ canonicæ canone* II.

Epiſcopi impoſita purganda & eluenda.

Sed obfirmato pectore propugno, plurimis ab initio rerum Chriſtianarum peccati mortalis, etiam ſecreti, reis fuiſſe impoſitam pœnam ſeparationis ſeu interdictionis ab Euchariſtia, adeoque mulctam cujuſdam pœnitentiæ publicæ: quod quidem ex continuis probationibus extra omnem dubitandi locum poſitum fore mihi perſuadeo.

I. Incredibile ſemper videbitur, laïcos homines non fuiſſe pœnitentiæ ejuſmodi pro peccatis occultis obnoxios iis temporibus, quibus ipſimet Eccleſiæ miniſtri non erant ea prorſus liberi: quippe cum dubitandi locus non relinquatur, quin ſero magis Clericis iſtiuſmodi pœna impoſita ſit. Verumtamen ab hac pœnitentia immunes non fuiſſe, intelligimus ex antiquiſſimo Hiſpaniarum Concilio Illiberitano, ſcilicet ante tempora S. Cypriani habito, qui anno Chriſti CCLVIII. obiit. Canone LXXVI. *Siquis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima pœnitentia poſt triennium accipere communionem; quod ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laïcam debere.* Dubium enim nemini

mentis compoti homini ſubolere poteſt, quin diſſimilitudo quædam exſurgat inter privationem communionis annis quinque & annis tribus, graviorique pœna plectatur quis impoſita communione laïca, quam non impoſita. Præterea incogitabile mihi videtur, inter peccatores publicos hominem recenſere, cujus peccatum adeo occultum & ſecretum eſt, ut a nemine, niſi ex ſpontanea rei declaratione ſeu confeſſione cognoſcatur, & peccatoribus occultis cooptare eum, cujus peccatum ab alio detectum & declaratum eſt. Cum igitur ex eo canone Illiberitano perſpectum habeamus, hiſce peccatoribus pœnitentiam publicam æquabiliter impoſitam fuiſſe; totaque pœnarum diſſimilitudo oriatur ex longitudine aut brevitate temporis, quo pœnitentia confeſtim agebatur, neutiquam vero ex publicatione aut occultatione: fateri neceſſe eſt his temporibus actam fuiſſe pro peccatis occultis quandam ſpeciem pœnitentiæ publicæ, ſcilicet mortalibus, quæ potiſſime ſignificant concepta verba canonis, *in crimine mortis detectus*.

II. Idem prorſus intelligimus ex canone IX. Concilii Neocæſarienſis eodem fere tempore celebrati, qui LIV. eſt Codicis Eccleſiæ univerſæ. *Si Presbyter qui corporale peccatum*

Digitized by Google

admiſerit, promotus fuerit, & confeſſus fuerit quod ante ordinationem peccaverit; non offerat manens in aliis propter aliud ejus vitæ ſtudium. Reliqua enim peccata dixerunt multi per manus impoſitionem tolli. Quod ſi ipſe non confiteatur, aperte autem convinci non potuerit, poteſtatis ſuæ judicio relinquatur.

1. Si quod ait adverſarius Patris Morini pagina 111. non eſſet ab inſtitutis veritatis alienum, multæ de medio tollerentur difficultates. Ait enim *crimen occultum ipſa confeſſione publicum fieri, & qui tamen illud commiſit, propter impoſitionem manuum quam in ordinatione accepit, a publica pœnitentia liberari.* Sed hoc inductionis genere nihil magis abſurdum ac ſupervacaneum eſt. Neutiquam enim confeſſionis ope peccata occulta publica fiebant. Sive enim aliquando quis probet coram Presbyterorum ſenatu, ſive coram Epiſcopo enunciata fuiſſe, ſemper pœnitentiæ præfecti homines, viri ſapientes ac ſecreti tenaces erant, ac recondita peccata clauſa fide ac taciturnitate tenebant. Hoc enim atteſtatur Epiſtola canonica S. Baſilii Magni ad Amphilochium de mulieribus adulterii crimine inquinatis. Præterea ex conceſſa ejuſmodi aſſumptione conſequeretur, confeſſione peccati arcani magis reos evaſiſſe

peccatores, quippe cum gravius ſit peccatum publicum, quam occultum: quod inſulſum & ſupervacaneum eſt.

2. Falſum eſt etiam, ab hoc Concilio dari immunitatem pœnitentiæ publicæ propter impoſitionem manuum quam in ordinatione Clerici acceperant. Nam de aliis peccatis loquitur, quorum veniam obtineri per impoſitionem manuum plerique exiſtimabant; nec explicat, utrum peccata venialia vel mortalia ſpectet: immo ex conceptis canonis verbis facile eſt intelligere, Patres hujus Concilii venialia tantummodo in animo habuiſſe: quippe cum ex continua hujus operis ſerie dubitandi locus non relinquatur, quin alia via quam pœnitentia & confeſſione, peccatorum mortalium veniam & remiſſionem poſt Baptiſmum comparari non poſſe, ſemper & ubique Eccleſia Catholica crediderit.

III. Luce meridiana clarius eſt, Tertullianum in libro de Pœnitentia ad ſolitariam pœnitentiam publicam reſpexiſſe, verbaque ejus hic exſcribere in hanc rem non opus eſt. Integrum igitur difficultatis caput devolvitur ad probandum, animo intendiſſe Tertullianum, ut veritatis viribus convinceret Chriſtianos, eiſque perſuaderet neceſſitatem pœnitentiæ publicæ ad obti-

nendam remiſſionem peccatorum clam hominibus & ſine ſcandalo commiſſorum. Animo enim vehementer fallitur, qui ejuſmodi peccata per confeſſionem ſeu exomologeſim publica fieri reputat.

His vero ita ſubjectis inficiari nemo poteſt, Tertullianum loqui de peccatis ſecretis & occultis, ipſumque ſignificare, ſolitariæ pœnitentiæ publicæ ope poſſe iſtiuſmodi peccatorum veniam comparari. Ecquid enim ſibi vellet hiſce conceptis capitis x. verbis pag. 147. edit. Rigaltii? *Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur; videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeone exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi?* Et paulo ſuperius eodem capite. *Pleroſque tamen hoc opus*, ſcilicet pœnitentiam, *& publicationem ſui ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentem vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.*

Verumtamen Dallæus contendit lib. IV. de Confeſſ. cap. 21. pag. 436. 437. & 438. Tertullianum eo loci ſpectare peccata publica,

Digitized by Google

eaque occulta videri ex comparatione cum vulneribus partium verecundiorum humani corporis: quoniam ejuſmodi criminum rei, licet a pluribus eſſent cogniti, perfecta nominis infamia ſeu probri turpitudine famoſa non laborabant; & ſibi fingit ejuſmodi peccatores fuiſſe ab Eccleſiæ miniſtris admonitos, ut pœnitentiæ publicæ legibus vitæ probro & turpitudini debitæ & impoſitæ obtemperarent. Sed conjecturam nulla probatione confirmat. Nam ex ſcriptis Tertulliani intelligimus, ipſum eo loci arguere peccatores indiſcriminatim publicos & occultos, totiſque eloquentiæ viribus conari, ut eos ab erroribus avertat, quibus inſana verecundia mentes humanas explet, & voluntatem ab agenda pœnitentia cohibet. Denique nihil dicit Tertullianus quod non faciliter ori cujuſlibet concionatoris Romani hodie induci poſſit. Adeoque ſolutio Dallæi, qua ſubtili diſtinctione ait peccata occulta comparate apud Tertullianum intelligenda, non abſolute & ſimpliciter, transferri poſſet ad defendendum, homines octuagenarios eſſe juvenes, quippe cum comparate cum Patriarchis veteris Teſtamenti ſenes exiſtimari non poſſint. Sed ſi tam futilibus diſtinctionibus locus relinquatur, nulla eſt hæreticorum antiquorum

tiquorum & recentium fatuitas, quam tuendam homines propoſiti tenaces & opinioſi non recipiant, nec tam concepta Scripturæ verba, quæ non eludant aut ludificent. Si ejuſmodi diſputandi ratione hominibus uti licet, fatebor libenter, controverſiarum judicem eſſe ſenſum communem omni appellatione remota. Neminem enim eſſe puto, cui natura non abſtulit, quin ex verbis Tertulliani perſpectum habeat, ipſum non potuiſſe elegantius occulta peccata ſimpliciter & abſolute ſignificare, cum ea dicit, *quæ humanæ notitiæ ſubducimus, quæ latent, quæ Deum celabimus*; & cum vulneribus verecundiorum & ſecretiorum humani corporis partium comparat, quibus qui medentium conſcientiam vitant, cum erubeſcentia ſua intereunt.

IV. Hanc veritatem mirifice ſuſtentat Origenes homilia 11. in Leviticum, in qua dubium non eſt, quin pœnitentiam publicam ſpectet, dum ait: *Eſt adhuc ſeptima, licet dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait: Dixi, Pronuntiabo ad-*

Digitized by Google

verſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Quis dubitet etiam ipſum loqui de peccatis occultis, quæ Sacerdotibus indicari dicit, quæ ſi publica fuiſſent, erant abundanter cognita?

Sed Origenem peccata ſecreta confeſſione Sacerdotibus facta deleri, ſibi perſuaſiſſe, luce clarius intelligimus ex Commentario in Pſal. XXXVII. quo ait, potiſſimum munus Sacerdotum eſſe, examinare an peccata ſibi explicata, eſſent ejuſmodi, ut pœnitentia publica expiari deberent; hoc eſt, diſcutere ex more antiqui temporis, an venialia aut mortalia viderentur. *Si intellexerit*, inquit, ſcilicet medicus ſive Sacerdos, *talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari; multa hæc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.*

Pluribus objectionibus hanc ſententiam oppugnat Dallæus, quas diluere non arduum eſt. Libri IV. de Confeſſione capite 22. pag. 456. profert Origenis verba ex XXI. in Joſue, ex II. in librum Judicum, ex tractatu XXXIX. in Matthæum, & ex homilia III. in Leviticum. Ex quibus intelligimus, ætate Origenis peccatores pu-

Digitized by Google

blicos & manifeſtos fuiſſe penitus extra limina Eccleſiæ poſitos, eiſque omni communione interdictum; at vero adverſus peccatores occultos contrariam fuiſſe diſciplinæ rationem. Ex quibus colligit Miniſter, neutiquam fuiſſe his temporibus peccata occulta pœnitentiæ publicæ legibus obnoxia; eo enim tota vis recidit reſponſionis Dallæi. Sed bonus vir non animadvertit olim fuiſſe duplicem interdictionis à communione Eccleſiæ ſpeciem: unam mortalem, quæ præ ſe ferebat quoddam ſupplicii genus, & infamiæ probrique notam invitis ac reluctantibus peccatoribus, induratis ac contumacibus aſpergebat, qua Satanæ tradebantur, ſeu diabolo devovebantur, ac veluti membra ſanie taboque putreſcentia amputabantur, & a corpore Chriſti myſtico ſeu ſeptis Eccleſiæ Catholicæ extorres palanteſque arcebantur. Ejuſmodi hominum ſimulacrum videmus in hæreticis, ſchiſmaticis, & aliis noxiis & non obedientibus, & vario ſcelerum genere inquinatis, & ſacris hominibus.

Altera ſpecies interdictionis erat quædam ad tempus ab Euchariſtiæ participatione ſubmotio, ſeu dignitatis & amplitudinis Chriſtianæ functionibus abdicatio ſponta-

Digitized by Google

nea & libera, quam miniſtri Eccleſiæ lacrymis, fletibus & vocibus pœnitentium victi, imponebant hominibus ad meliorem frugem reverſis, obedientibus & contritis. Ejuſmodi prohibitio communionis non mortalis, ſed medicinalis erat, ut docet nos S. Auguſtinus Homilia ultima ex L. *Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus: quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis.* Non hanc poſtremam, ſed primam prohibitionem ſpectat Origenes, quam Eccleſia invitis & reluctantibus imponere ſolet contumacibus peccatoribus, publicis & manifeſtis: cujus aſceſis nihil officit legibus alterius prohibitionis medicinalis & ſpontaneæ. Igitur non opus erat Dallæo tot verborum bombis paratragœdiare. Non enim defendimus peccatores occultos ad meliorem frugem ſponte converſos, obedientes & pœnitentes ab Eccleſia fuiſſe expulſos, diabolo devotos, & omni dignitate hominis Chriſtiani ſpoliatos; ſed ſolummodo tam ſævis legibus actum fuiſſe adverſus induratos peccatores publicos, inobedientes & impœnitentes. Sueverant ſcilicet primitivi Eccleſiæ miniſtri communione Euchariſtiæ interdicere vere pœnitentibus & contritis, ut eos tanti boni partici-

Digitized by Google

patione dignos redderent, eaque de cauſa pœnitentiæ publicæ a Sacerdote aut Epiſcopo prudenter directæ ſatisfaciebant pro peccatis, quibus nullæ ex Canonibus inflictæ pœnæ intelligebantur, ut atteſtatur S. Gregorius Nyſſenus Epiſtola ad Letoium, de qua ſæpius infra mentionem iterabimus.

Sed his jam poſtpoſitis Origenis locis, qui nihil aut parum attinent, alii proferuntur tuendæ opinioni Miniſtri non magis conducibiles, quos hic exſcribere tædio eſſet: ex Homilia ſcilicet III. cap. 3. in Leviticum, Commentario in S. Matthæum editionis Græcæ clariſſimi viri Danielis Huetii pag. 335. & Homilia II. in Pſalmum XXXVIII. Nam duo primi ſpectant correctionem fraternam, nihilque aliud ſignificant, niſi prima vice Chriſtianos debere clam admonere fratres; *Inter te & ipſum ſolum:* ſecunda vero vice coram teſtibus, antequam dicant & renuncient Eccleſiæ, eoſque velut ethnicos & publicanos reſpiciant. Sed iſta correctio fraterna nullam habet ſimilitudinem ad eam, ad quam confertur, correctionem maternam, qua Eccleſia uti ſueverat his temporibus adverſus pœnitentes, qui ſuorum peccatorum veniam ſponte petebant, quæ gloria & honore pœnitentiæ publicæ, omnem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

probri maculam a peccatis adſperſam extergebat. Capite quod proxime ſequitur, diluemus objectionem, qua ſententiæ noſtræ adverſarii grande pœnitentiæ publicæ impedimentum extitiſſe putant, ex eo quod ope ejuſmodi pœnitentiæ homicidia & adulteria occulta palam declarata fuiſſent: ſed quam futilis & vana ſit ejuſmodi objectio, infra demonſtrabimus. Quod vero locum ſpectat aſſumptum ex Homilia II. in Pſal. XXXVIII. noſtram ſententiam invictiſſime confirmat. Enimvero cum eo loci dicat Origenes, e re Sacerdotum eſſe, ut peccata ſibi revelata examinarent, adeoque clam & occulte commiſſa, an ſcilicet mortalia eſſent & pœnitentiæ publicæ laboribus purganda, conſtat, ætate Origenis, ut jam explicuimus, peccata occulta mortalia fuiſſe pœnitentiæ publicæ obnoxia.

Sed gravioris ponderis aſſumitur objectio ex Homilia v. in Leviticum, ex qua peccata quædam mortalia quotidiana intelligenda videntur, quæ uſu pœnitentiæ publicæ ſoluta erant, & relictis Eccleſiæ miniſtris ac prætermiſſis, quotidiana pœnitentia expiabantur. *Si nos*, inquit Origenes, *aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei, quæ muro Ec-*

Digitized by Google

cleſiaſtici & Apoſtolici dogmatis cincta eſt, ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat; hoc eſt vendidiſſe domum quæ in agro eſt: hæc eſt venditio. Hujuſcemodi culpa ſemper reparari poteſt, nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis hujuſmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus ſemel tantum, vel raro conceditur pœnitentiæ locus. Iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.

Sed hanc objectionem mirabiliter diluit doctiſſimus Arnaldus ſecunda parte de frequenti Communione cap. IV. firmiſſime propugnans hanc enunciationem ſenſu carere: *Si nos aliqua culpa mortalis invenerit in crimine mortali*; niſi legatur *culpa moralis*, & error ſcribæ, in quem facilis lapſus fuit, emendetur juxta antiquas editiones Origenis, apud Frobenium Baſileæ anno MDXXXVI. ex recognitione Eraſmi; Epiſcopium anno MDLXXI. ex recognitione Simonis Grynæi, inter primipilos Calviniſtas celebris, ad Colloquium Wormatienſe deputati anno MDXL. cum Melanchthone, Bucero, Capitone & Calvino; & aliam Baſileenſem anno MDLVII. poſt mortem Eraſmi, ex recognitione Laurentii Humfridi, in quibus non

Digitized by Google

culpa mortalis, ſed *moralis*, legitur.

Sed omni exceptione majus mihi videtur ejuſdem Origenis teſtimonium, & ab omnibus partis Calvinianæ Scriptorum cavillis maxime liberum, bona fide aſſumptum ex libro III. *κατὰ* Κέλσον pag. 142. & 143. editionis Cantabrigienſis anni MDCLVIII. Eo enim loci cum pœnitentiam publicam per *ἀπελασίαν τοῦ κοινοῦ rejectionem a communione*, & per interdictionem ab omnibus Magiſtratibus Eccleſiaſticis, etiam reſipiſcentibus & ad meliorem frugem converſis hominibus impoſitam indigitare velit, ac de peccatoribus libidine aut alio ſimili malo contaminatis mentionem faciat, omni diſcrimine prætermiſſo peccati occulti aut publici: dubitandi locus non relinquitur, quin recondita quædam peccata æque ac manifeſta pœnitentia publica diluenda indiſcriminatim exiſtimaverit. *οἵα δ' ἐστὶν αὐτοῖς ἀγωγὴ καὶ περὶ ἁμαρτανόντων, καὶ μάλιστα τῶν ἀκολασταινόντων, οὓς ἀπελαύνουσι τοῦ κοινοῦ οἱ κατὰ τὸν* Κέλσον *παραπλήσιοι τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις; καὶ τὸ μὲν* Πυθαγορείων *σεμνὸν διδασκάλιον κενοτάφια τῶν ἀποστάντων τῆς σφῶν φιλοσοφίας κατεσκεύαζε, λογιζόμενον νεκροὺς αὐτοὺς γεγονέναι. οὗτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἤ τινος ἀτόπου νενικη-*

Digitized by Google

μένους, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι. καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον ἐνδείξονται μεταβολὴν, χρόνῳ πλείονι τῶν κατ' ἀρχὰς εἰσαγομένων ὕστερόν ποτε προσίενται· εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες τοὺς φθάσαντας μετὰ τὸ προσεληλυθέναι τῷ λόγῳ, ἐπταικέναι. *Qualis vero eſt iis diſciplina erga peccantes, & maxime incontinentes, quos a communione rejiciunt. Illi ſecundum Celſum proxime accedunt ad eos, qui in foro valde vituperabilia repræſentant. Honeſta Pythagoreorum ſchola cenotaphia præparabat iis, qui philoſophiam ſuam ejurabant, quos mortuos exiſtimabat. Illi vero, ſcilicet Chriſtiani, laſcivia aut alio inſolenti malo victos homines veluti perditos & Deo interfectos ac mortuos lugent, qui ſi dignam mentis mutationem oſtenderint, & longiori tempore exiſtentem, quam cum primum ad religionem admiſſi fuerant, illos quaſi reſuſcitatos a mortuis poſtea tandem recipiunt, ad nullam eos deligentes dignitatem aut magiſtratum dictæ Eccleſiæ Dei, qui poſtquam verbo divino fuerunt inſtructi, relapſi ſunt.*

V. Non eſt credibile, a mente Origenis alieniorem fuiſſe illuſtriſſimum ejus diſcipulum Gregorium Thaumaturgum, Epiſcopum Neocæſarienſem. Revera etiam viam hujuſmodi pœnitentiæ publicæ pro quibuſ-

dam peccatis occultis non deflexit. Epiſtola canonica *De iis qui Barbarorum incurſione idolothyta comederant, & alia quædam peccata commiſerant.* Nam ex canone 8. perſpectam habemus diſſimilitudinem pœnitentiarum pro peccatis publicis & ſecretis præſcriptarum, videmuſque hanc differentiam neutiquam aſſumi ex publicatione aut occultatione pœnitentiæ: *Eos autem qui alienas domos invadere auſi fuerint, ſi accuſati quidem, convicti fuerint.* en peccatum publicum. Et continuo ſermone, *Nec auditione dignos exiſtimare oportet.* en pœnitentiam publicam. Auditio enim ſive ἀκρόασις, erat ſecundus pœnitentiæ publicæ gradus ex eodem S. Gregorio Thaumaturgo canone 11. hujus Epiſtolæ. Deinde, *Sin autem ſeipſos enunciaverint & reddiderint.* en peccatum occultum, ſoli reo cognitum, & ab eo revelatum Eccleſiæ miniſtris. Tum vero, *In eorum qui convertuntur, ordinem ſubſternantur.* ἐν τῇ τῶν ὑποστρεφόντων τάξει ὑποπίπτειν. en ſpeciem pœnitentiæ publicæ: quippe cum ex Gregorio eodem canone 11. jam citato ejuſdem Epiſtolæ intelligamus, ſubſtrationem ὑπόπτωσιν, eſſe tertium pœnitentiæ publicæ gradum. *Intra templi portam, qua ſtans pœnitens cum catechumenis egrediebatur.* Eandem

diſciplinæ rationem habet canon 9. ejuſdem Epiſtolæ canonicæ his verbis conceptus: *Eos autem qui in campo aliquid invenerunt, vel in ſuis ædibus a barbaris relictum, ſi accuſati quidem, convicti fuerunt.* Quis dubitet ibi mentionem fieri peccati publici: nam ſecreti & occulti argui nemo poteſt. *Sint ſimiliter in iis qui ſubſternuntur.* ὁμοίως ἐν τοῖς ὑποπίπτουσι. En pœnitentiam publicam. *Sin autem*, inquit eodem canone, *ſeipſos enunciaverint & reddiderint*, (non potuit magis conceptis verbis peccatum occultum ſignificari) *etiam precibus digni habeantur.* καὶ τῆς εὐχῆς ἀξιῶσι. Hæc vero quandam pœnitentiam publicam præſcriptam fuiſſe ejuſmodi peccato demonſtrant: quippe cum pœnitentes publici in ſecundo gradu, qui ἀκρόασις appellabatur ſive *auditio*, conſiſtentes, ad communionem precum non admittebantur, ut patet ex canone 11. hujus Epiſtolæ. ἀκούων γὰρ, φησι, τῶν γραφῶν καὶ τῆς διδασκαλίας ἐκβαλλέσθω, καὶ μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς. *Audiens enim, inquit, poſt Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione dignus non cenſeatur.* At vero valde probabile eſt, hanc gratiam fuiſſe conceſſam pœnitentibus, poſtquam ad quartum gradum pervenerant, ſcilicet conſiſtentiam: ἡ σύστασις, ἵνα

συνιςᾶϑαι τοῖς πιςοῖς, *ut cum fidelibus conſiſtat*, qui quintum antecedat, in quo ad myſteriorum participationem admittebantur, & quem S. Gregorius eodem canone 11. appellat *μέθεξιν τῶ ἁγιασμάτων*. Porro hæc omnia nullum dubitandi locum relinquunt : 1. quin acta fuerit quædam pœnitentia publica pro quibuſdam peccatis reconditis & arcanis, non tamen ſemper decurſis omnibus gradibus, aut integris ritibus obſervatis: 2. & non ſolum peccatis idololatriæ, homicidii & mœchiæ impoſita fuerit, verumetiam nonnunquam aliis, quibus pœnas non præſcripſerant Canones, ſed quas in arbitrio & Epiſcoporum poteſtate reliquerant.

VI. S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis praxim agendæ pœnitentiæ publicæ pro quibuſdam peccatis occultis confirmat narratione miraculorum, quibus Deus exterruit eos, qui idolis occulte ſacrificaverant, qui poſtpoſita pœnitentia publica, Euchariſtiam recipere præſumpſerant. Nam de pœnitentia publica ſanctum Cyprianum mentionem feciſſe libro de Lapſis, dubium non eſt, pagina 202. editionis Rigaltii anni MDCXLVIII. *At vero ea quæ ætate provecta & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſi-*

Digitized by Google

bi ſumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus ſanguinem admittens, angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens, & concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem.

VII. Sed poſitam quæſtionem penitus dirimit S. Baſilius Magnus Epiſtolæ ſecundæ ad Amphilochium canone 22. *Ei autem qui mulierem vel vi vel clam a ſe vitiatam habet, neceſſe eſt fornicationi pœnas imponere: eſt autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus ſupplicium.* Græcus textus habet: *Ex corruptione ſive occulta, ſive violenta mulierem habet.* τὸν μέντοι ἐκ διαφθορᾶς, εἴτε λαθραίας, εἴτε βιαιοτέρας γυναῖκα ἔχοντα. Quæ conceptis verbis peccatum occultum ſignificant, quod quadrienni pœnitentia publica expiabatur. Nam ex continuo canonis ſermone intelligimus, hanc pœnitentiam habuiſſe gradus fletus, auditionis, ſubſtrationis, conſiſtentiæ & admiſſionis ad participationem ſacramentorum.

Eandem doctrinam confirmat S. Baſilius ejuſdem Epiſtolæ ad Amphilochium canone 34. in quo exceptio firmat regulam.

Nam aliquatenus lege pœnitentiæ ſolvere videtur mulieres adulteras, ſive confeſſas, ſive convictas, ne a conjugibus zelotypia ſeu rivalitate accenſis & ſuſpicacibus interficerentur. *Adulterio pollutas mulieres, & conſitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Sed revera canon iſte promulgatione criminis has mulieres liberat tantum, neutiquam vero ſeparatione communionis: quandoquidem ſtare longo tempore coram plebe ſine communione, ſpeciem quandam pœnitentiæ publicæ ſignificet, atque aliquam diſſimilitudinem ad vulgus fidelium, ſi ſtantes iſtæ mulieres quibus communione interdictum erat, conferrentur. Præterea ſeries hujuſce canonis multum conducibilis mihi videtur diluendæ objectioni eorum, qui ſibi perſuadent a publicatione pœnitentiæ peccata promulgatum iri. Enimvero cum ipſemet canon etiam facta confeſſione, aut habita convictione, crimen promulgare ſive publicare vetet, dubitandi locus non relinquitur, ejuſmodi objectionem eſſe merum hominis opinioſi figmentum. *Publicare quidem patres no-*

Digitized by Google

ſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus.

Sed, inquit Dallæus libro IV. de Confeſſione capite 21. pagin. 435. *Vnde habet Arnaldus, iſtarum mulierum crimen occultum fuiſſe? Immo quis non intelligit non fuiſſe occultum, quando tale fuit, ut vel id rea mulier ſponte confiteretur, vel ejus alia ratione convinceretur? Qui potuit mulier ejus criminis convinci, quod plane penituſque occultum erat.* Sed reſponſio facilis eſt, neceſſe eſſe iſtiuſmodi peccatum non ſolum confeſſis, verumetiam convictis reis occultum permanſiſſe: quippe cum canon publicare vetet, *ne convictis mortis cauſa præberetur.* δημοσιεύειν οὐκ ἐκέλευσαν οἱ πατέρες ἡμῶν, ἵνα μὴ θανάτου αἰτίαν παρέχωμεν ἐλεγχθείσαις. Porro ex his argumentum inviictiſſimum aſſumendum mihi videtur ad probandum, olim, ita ut noſtris temporibus, confeſſionis ſecretum clauſum ac reconditum, a miniſtris Eccleſiæ caſte, ſancte & inviolate teneri. Sed hanc ſolutionem capite III. amplificabimus: atque hic tantum adjiciam, ipſos Græcos non dubitaſſe, quin S. Baſilius de arcanis mulierum peccatis locutus ſit, uti ex Balſamonis commentario ad hunc canonem intelligimus. *Adulteri ſecundum canonem 58. ſtant*

Digitized by Google

quatuor annis cum flentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum ſubſtratis, duobus cum iis qui conſiſtunt abſque communione. Dicit ergo Sanctus: Si qua mulier adulterata, peccatum confeſſa fuerit, vel quomodocumque convicta ſit, non oportet eam publicare, id eſt, in dictarum pœnarum locis ſtatuere: qui enim eam viderit extra divinos Eccleſiæ ambitus ſtantem, vel etiam cum catechumenis exeuntem, primo aſpectu omnino intelliget propter adulterii crimen eam illi eſſe pœnam injunctam, & fiet punitio cauſa mortis poſt futurum forte viri reditum, qui id animadverterit. Permittitur ergo conſiſtere, & cum fidelibus comprecari; a ſacramentorum autem communione abſtinere, donec pœnitentiæ tempus completum fuerit. Idem ait Ariſtenus: *Mulier quæ adulterium commiſit, & crimen ſuum pietate commota confeſſa eſt, vel alio quovis modo a patre ſpirituali deprehenſa, non eſt publicanda, nec viro ſuo ut adultera notificanda, ne hoc illi ſit cauſa mortis: ſed ſine communione ſtare debet cum mulieribus fidelibus, donec compleatur tempus adulterio ſtatutum. Si enim cum flentibus & audientibus conſtitueretur, ſuſpicio aliqua marito injiceretur, à quo forſan occideretur.*

Hanc aſceſim pœnitentiæ publicæ pro peccatis reconditis confirmat S. Baſilius canone

none 61. Epiſtolæ III. ad Amphilochium. *Qui furatus eſt, ſi ex ſe quidem pœnitentia motus ſeipſum accuſaverit, anno a ſola ſacramentorum communione arcebitur. Sin autem convictus fuerit, duobus annis; tempus vero illi ad ſubſtrationem dividetur & ad conſiſtentiam, & tunc communione dignus habeatur.* Quid enim magis reconditum & occultum cogitari poteſt, quam peccatum ſoli reo ſponte confitenti, & veniam precanti cognitum? Quamobrem dum quærit Dallæus libro IV. de Confeſſione cap. 21. pag. 435. *qua ratione conficiat Petavius furtum illud*, de quo loquitur S. Baſilius, *manifeſtum non fuiſſe:* reſpondere facile eſt, peccatum publicum ac manifeſtum non videri, quod eſt a ſolitario reo confitente, & miniſtris Eccleſiæ renunciante cognitum. Hæc intelligere omnes homines neceſſe eſt, quibus tenacitas opinionum ſenſum communem non abſtulit.

Ejuſdem veritatis cauſæ tuendæ conducit canon 69. citatæ Epiſtolæ ad Amphilochium. *Lector ſi cum ſua ſponſa ante matrimonium commercium habuerit, poſtquam anno ceſſaverit, ad legendum recipietur, manens non ulterius promovendus. Quod ſi abſque deſponſatione furtim coierit, ceſſabit a miniſterio. Idem & miniſter.* κλεψιγαμήσας δὲ ἄνευ μνηστείας, παύσεται τῆς ὑπηρεσίας.

τὸ αὐτὸ κ̓ ὑπηρέτης. Nam hoc verbum κλεψιγαμήσας, *furtim occulte coierit*, peccatum reconditum ſignificat. Eodem recidit canon 70. *Diaconus qui pollutus eſt in labris, & ſe eo uſque peccaſſe confeſſus eſt, a miniſterio prohibebitur: ut autem ſit ſacramentorum cum Diaconis particeps dignus habebitur: idipſum autem Presbyter quoque. Si quid autem amplius peccaſſe quis deprehenſus fuerit, in quocumque ſit gradu, deponetur.* Ad quid enim profertur hoc diſcrimen inter peccatum confeſſione revelatum, & deprehenſione cognitum, niſi ut unum occultum, alterum publicum fuiſſe ſignificetur?

Sed aſſumitur contra ſententiam quam defendimus, objectio ex Homilia S. Baſilii in Pſal. XXXVII. quam hic prætermittendam ducimus infra capite IX. hujus operis tractaturi: cum præſertim ipſam peccatorum confeſſionem ſpectet. Non opus eſt etiam immorari diluendæ alteri objectioni ex Epiſtola CCXLVI. S. Baſilii, quæ præſcribit correctionis fraternæ ex conſilio Evangelico leges: ad ipſam vero emendationem peccatorum, quam beneficio ſacramenti pœnitentiæ ac clavium miniſterio præſtant Epiſcopi aut Sacerdotes, nihil attinet, aut nullam ſimilitudinem habet.

Digitized by Google

VIII. Ab inſtitutis S. Baſilii alienam in ſententiam S. Gregorium Nyſſenum germanum fratrem non iviſſe, perſpicimus ex Epiſtola ad S. Letoium Melitenes Epiſcopum pag. 950. tom. 1. *Eſt autem quædam differentia in ratione pœnitentiæ in iis qui in voluptate peccaverunt ejuſmodi.* (de peccatis ζωοφθορείας & παιδεραστίας loquitur) *Qui enim ex ſeipſo ad ſua proferenda peccata impulſus eſt; eo quod ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & ſignum mutationis in id quod eſt melius, oſtenderit, in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem vel accuſationem in gratiis convictus eſt, longius illi converſionis tempus datur, ut ipſe perfecte purgatus, ſic ad ſacramentorum communionem admittatur.* Quis enim ſibi perſuadeat eo loci ſpectari peccata publica & manifeſta, & hæc verba de peccatis non reconditis & occultis intelligat, γενέσθαι τῶν κρυφίων κατήγορος;

IX. Sed arte modoque adeo ſingulari difficultatem ſibi propoſitam ex ſancto Ambroſio Dallæus ſubterfugit, ut argutias Miniſtrorum Calvinianorum, ac ſubtilia retia nihil evitare aut declinare videatur. Non enim potis eſt conceptis magis verbis pœni-

tentiam publicam pro peccatis occultis enunciare. Lege librum 1. de Pœnitentia capite 16. *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit; quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur? Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur & obſecret: & cum ſecundo & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior, poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus* JESUS: *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Contendit Miniſter ex his verbis S. Ambroſii temere argumentum aſſumi ad probandum, olim peractam fuiſſe pœnitentiam publicam pro peccatis occultis; ſed econtra S. Ambroſium hic tantum ſpectare pœnitentes, qui ex pietatis motu ſeu devotionis, ſponte onus ejuſmodi ſuſtinebant. Sed cum ejuſmodi diverticulum apud S. Ambroſium inventum difficilem habeat, quem eo loci ſpeciem pœnitentiæ publicæ canonibus antiquis præſcriptæ ſpectare, luce meridiana clarius conſtet; aliud effugium reperit, & defendit eo loci emendandum eſſe errorem ſcribæ aut typographi, nec legen-

dum eſſe *occulta peccata*, ſed *multa*. O mirabilem ingenii vim, quæ inveſtigat occulta, & inventio & excogitatio dicitur! Sed artis hujus nulla eſt utilitas, cum conjecturæ codicibus manuſcriptis non fulciuntur, & econtra veteres omnes codices ſenſuſque Autoris repugnant. Ego vero plures evolvi S. Ambroſii veteres codices manuſcriptos, duos præſertim, unum ſcilicet octingentorum, alterum quingentorum annorum, e Bibliotheca S. Germani a Pratis Pariſienſis, quos mecum pro ſua humanitate liberaliter communicavit R. P. Joannes Mabillonius, Congregationis S. Mauri doctiſſimus Monachus, cum eſſem Pariſiis pridie Nonas Julii anno MDCLXXXII. Sed in manus meas nullum incurriſſe atteſtari non vereor, in quo *multa*, non *occulta* peccata habeantur.

Cum igitur in efformando ſuæ cauſæ propitio textu laboraret Dallæus, æquabili jure poterat loco hujus vocis *occulta*, reſtituere *publica* vel *manifeſta*. Nam ſi Patrum ſcripta violanda ſunt, non leviter aut dimidio violanda ſunt. Sed ad quid conducibile erat Dallæo in locum vocis *occulta*, hanc *multa* ſubdere, cum ætate S. Ambroſii non ſolum pro multis peccatis, verumetiam pro paucis & unico mortali, pœnitentia publica

confeſtim ageretur? Denique ſenſus S. Ambroſii imaginoſo Dallæi cerebro vehementer repugnat: quippe cum ex ſcriptis tanti Doctoris intelligere videamur, non ſolum publicam peccatorum reconditorum ſatisfactionem, verumetiam quandoque confeſſionem coram Eccleſiæ cœtu peractam fuiſſe, præſertim ex Sermone 79. pag. 774. lit. A. columna inter. linea 12. in quo peccatores, qui ſua peccata occulunt, & Eccleſiam celant, ſeu palam confiteri renuunt, cum vulpibus comparat. *Omnis enim*, inquit, *Chriſtianus, qui ſua vult peccata celare, hic ſpiritualiter vulpes eſt: ſicut enim vulpes propter fraudes ſuas in latibulis demoratur, ita & peccator tacens propter conſcientiam ſuam peccatorum foveis deliteſcit; & ſicut illa non audet inter medias hominum turbas morum ſuorum oſtendere fallaciam, ita & hic erubeſcit in media Eccleſia converſationis ſuæ nequitiam confiteri.*

X. Innocentius I. Papa Romanam Eccleſiam hac ſpecie pœnitentiæ publicæ pro gravibus peccatis occultis floruiſſe, nos docet Epiſtolæ ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum capite 12. *Item quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe*

ad agendam pœnitentiam, niſi is cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit. Quis enim non videat clancularem corruptionem publicis nuptiis ex adverſo poſitam, eidem pœnitentiæ publicæ ſubjici?

XI. S. Hieronymus Romæ agendæ pœnitentiæ publicæ conſuetudinem pro peccatis mortalibus & occultis confirmat Epiſtola ad Oceanum de epitaphio Fabiolæ, quæ cum de morte conjugis non dubitaret, alteri nubere non renuerat. *Saccum*, inquit Hieronymus, *indueret.... ſtaret in ordine pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret?* Et paulo poſt: *Non eſt confuſa Dominum in terris, & ille eam non confundetur in cælo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os; non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi, ſeparata conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret. Deſcendit de ſolio deliciarum ſuarum, accepit molam, fecit farinam, & diſcalciatis pedibus tranſivit fluenta lacrymarum. Sedit ſuper carbones ignis, hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam ſecundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas,*

linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat; ſic dolebat, quaſi adulterium commiſiſſet, & multis impendiis medicaminum unum vulnus ſanare cupiebat. Poſſem facile hoc exemplum S. Hieronymi acceſſione cumulare Concilii Carthaginenſis habiti anno Chriſti CCCXCVII. Sed quid de eo ſentiendum ſit, lector intelliget ex capite hujus operis XV.

XII. S. Paulus non de ſolis peccatis publicis, ſed de omnibus indiſcriminatim, ſive manifeſtis, ſive reconditis, loquitur capite V. Epiſtolæ ad Galatas, dum ait: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immundicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Neminem etiam dubitare exiſtimo, quin mente captus ſit quiſquis ſibi perſuaderet, his omnibus peccatis inquinatum hominem, quamvis ſecreto & clanculum commiſſis, poſſe ſibi procurare beatitudinem regni cæleſtis. At vero certum eſt, S. Auguſtinum ad pœnitentiam ejuſmodi criminum adhortari, Homilia ultima ex L. in qua ex verbis mox citatis S.

Digitized by Google

Pauli hanc concluſionem aſſumit. *Iudicet ergo ſeipſum homo in iſtis, voluntate dum poteſt, & mores convertat in melius: ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur: & cum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis modum: ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Vt ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat humorem.*

Binas faciendæ pœnitentiæ publicæ cauſas commemorat Auguſtinus: 1. *cum peccatum eſt in gravi malo committentis:* 2. *cum eſt in ſcandalo aliorum.* At vero ſi ſanctus Auguſtinus ſola peccata publica, & quæ ſunt in ſcandalo aliorum, pœnitentiæ publicæ ſubjicere animo intendiſſet, hanc conditionem

adſcribere ſupervacaneum erat : *Atque hoc utilitati expedire Eccleſiæ videtur Antiſtiti.* Nam ſolitaria pœnitentia publica expiabantur peccata in ſcandalo aliorum , ex lege Canonibus ſancita, nec aliter videri poterat Antiſtiti. Igitur hæc conditio ſpeciatim adſcripta eſt propter peccata recondita, quæ Antiſtes æquato examine lancibus ſuæ prudentiæ ſuſtinebat, & decernebat quid venia dignum, aut quo pondere lethum vergeret; adeoque ex cognitione lethalis culpæ ſeparationem ab Euchariſtia præſcribebat, aut propitiandum Deum bonis operibus , oratione aut eleemoſyna, cum venialis erat, relinquebat.

Hanc doctrinam mirabiliter comprobat S. Auguſtinus continuo ſermone ejuſdem Homiliæ, quo ait non poſſe *a communione prohiberi quemquam , niſi ſponte confeſſum;* quod peccatum occultum ſignificat ; *aut in aliquo ſive ſæculari , ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum;* quod publicum deſignat. *Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus , quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.* Porro hæc omnia, faciliter con-

Digitized by Google

ſequuntur ex tribus actionibus pœnitentiæ, quas paulo ante in eadem Homilia S. Auguſtinus nos docet. Prima erat peccatorum quæ per baptiſma delentur: ſecunda peccatorum venialium & quotidianorum, quæ precibus, orationibus & bonis operibus remittuntur: tertia peccatorum contra Decalogum commiſſorum, de quibus ait Apoſtolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* At vero hæc tertiæ claſſis peccata, omni arcanorum aut publicorum diſcrimine remoto, S. Auguſtinus pœnitentiæ publicæ æquabiliter ſubjicit. *Poſtremo*, inquit, *ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis & ſanguinis Domini, ut qui ſeparari a regno cælorum timet per ultimam ſententiam ſummi judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam a ſacramento cæleſtis panis interim ſeparetur.*

Sed hanc controverſiam penitus dirimit S. Auguſtinus, propitiumque judicium pronuntiare videtur ſententiæ neceſſitatem pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis conſtituenti, Epiſtola CXVIII. ad Januarium, dum ait, *ſi peccata tanta non ſint, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur, non ſe debere a quotidiana medicina corporis Domini ſeparare.* Enimverò ſi peccata mortalia ſecre-

Digitized by Google

ta tanta non ſint, ut qui ea commiſit, excommunicandus homo judicetur: conſequitur manifeſte ſecundum mentem S. Auguſtini, eos qui legibus Decalogi non obtemperant, ſed eas quotidie infringunt, de quibus ait S. Paulus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*; ſcilicet mœchos, fornicatores, molles & fures, debere quotidie Euchariſtiam recipere, adeoque, quod nefandum & horribile eſt, non dijudicato corpore Domini, judicium ſibi manducare & bibere.

Dallæus lib. IV. de Confeſſione cap. 22. pag. 454. his omnibus opponit verba S. Auguſtini exſcripta ex Sermone XVI. de verbis Domini cap. 7. *Tu ſcis quia peccavit: quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit. Nam ſi ſolus noſti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor.* Sed ex his nihil aliud conſequitur, niſi juxta præceptum Chriſti habendam eſſe rationem correctionis fraternæ, admonendo clam prima vice fratrem, ſecunda coram teſtibus, tertia renunciando Eccleſiæ. Hæc vero pœnitentiæ publicæ aut ſecretæ per Sacerdotes adminiſtrandæ diſciplinam non ſpectant, cujus jugum leve ſemper viſum eſt hominibus vere pœnitentibus & contritis,

Digitized by Google

ſponte ſemper ſuſcipientibus, ac ſibi honorificum ducentibus.

Objecta eſt etiam a quibuſdam Homilia XLIV. S. Auguſtini de verbis Domini, in Evangelium Joannis, in qua, mentione facta pravarum cogitationum, quibus nonnulli peccatores conſentientes aliquandiu, eas tamen ad executionem non perducunt; eos cum filio viduæ Naim comparat, quem Chriſtus Dominus mortuum, ſed nondum elatum & ſepultum ad vitam revocavit. *Surgit*, inquit S. Auguſtinus, *mortuus in domo, reviviſcit in cogitationis ſecreto, facta eſt iſta reſurrectio animæ mortuæ intus: intra latebras conſcientiæ, tamquam intra domeſticos parietes*. Sed hoc probat tantum, quod fatemur libenter, cogitationes pravas & cum conſenſu lethales nunquam graviores eſſe culpas ipſis peccatis, quibus ejuſmodi cogitationes perficiuntur, & facilius eis veniam procurari: v. g. nunquam libidinoſa cogitatio adulterii (ei neutiquam renuente voluntate, ſed potius annuente) tantum ac tam grave peccatum eſt, quam ipſummet adulterium revera commiſſum & patratum. Verum hæc non repugnant ſententiæ noſtræ, nec pravis ejuſmodi cogitationibus hominem inquinatum liberant ab obtemperatione interdicto

ta tanta non ſint, ut qui ea commiſit, excommunicandus homo judicetur: conſequitur manifeſte ſecundum mentem S. Auguſtini, eos qui legibus Decalogi non obtemperant, ſed eas quotidie infringunt, de quibus ait S. Paulus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt;* ſcilicet mœchos, fornicatores, molles & fures, debere quotidie Euchariſtiam recipere, adeoque, quod nefandum & horribile eſt, non dijudicato corpore Domini, judicium ſibi manducare & bibere.

Dallæus lib. IV. de Confeſſione cap. 22. pag. 454. his omnibus opponit verba S. Auguſtini exſcripta ex Sermone XVI. de verbis Domini cap. 7. *Tu ſcis quia peccavit: quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit. Nam ſi ſolus noſti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor.* Sed ex his nihil aliud conſequitur, niſi juxta præceptum Chriſti habendam eſſe rationem correctionis fraternæ, admonendo clam prima vice fratrem, ſecunda coram teſtibus, tertia renunciando Eccleſiæ. Hæc vero pœnitentiæ publicæ aut ſecretæ per Sacerdotes adminiſtrandæ diſciplinam non ſpectant, cujus jugum leve ſemper viſum eſt hominibus vere pœnitentibus & contritis,

Digitized by Google

ſponte ſemper ſuſcipientibus, ac ſibi honorificum ducentibus.

Objecta eſt etiam a quibuſdam Homilia XLIV. S. Auguſtini de verbis Domini, in Evangelium Joannis, in qua, mentione facta pravarum cogitationum, quibus nonnulli peccatores conſentientes aliquandiu, eas tamen ad executionem non perducunt; eos cum filio viduæ Naim comparat, quem Chriſtus Dominus mortuum, ſed nondum elatum & ſepultum ad vitam revocavit. *Surgit*, inquit S. Auguſtinus, *mortuus in domo, reviviſcit in cogitationis ſecreto, facta eſt iſta reſurrectio animæ mortuæ intus: intra latebras conſcientiæ, tamquam intra domeſticos parietes.* Sed hoc probat tantum, quod fatemur libenter, cogitationes pravas & cum conſenſu lethales nunquam graviores eſſe culpas ipſis peccatis, quibus ejuſmodi cogitationes perficiuntur, & facilius eis veniam procurari: v. g. nunquam libidinoſa cogitatio adulterii (ei neutiquam renuente voluntate, ſed potius annuente) tantum ac tam grave peccatum eſt, quam ipſummet adulterium revera commiſſum & patratum. Verum hæc non repugnant ſententiæ noſtræ, nec pravis ejuſmodi cogitationibus hominem inquinatum liberant ab obtemperatione interdicto

communionis corporis Chriſti. Enimvero cogitationes pravæ, cum lethales ſint, & juxta ſanctum Paulum ingreſſum regni cælorum reis intercludant, tanta revera peccata ſunt, ut iis inquinatus homo medicinali ſeparatione excommunicandus judicetur, ſeu ſe debeat a quotidiana medicina corporis Chriſti ſeparare, ipſomet annuente S. Auguſtino Epiſtola CXVIII. ad Januarium. Præterea hæc probant, contritionem charitate perfectam ante peractam ſatisfactionem procurare pœnitentibus veniam ſeu remiſſionem; neutiquam vero a ſudoribus & laboribus ſatisfactionis vindicare aut ſolvere.

XIII. Ab inſtitutis ejuſmodi imponendæ pœnitentiæ publicæ peccatis reconditis alienus non fuit Autor librorum de Vita contemplativa, quos R. P. Sirmondus Jeſuita in ſuis ad II. Conciliorum Galliæ tomum notis Juliano Pomerio vindicavit: quippe ſic fatur libro II. capite 7. circa annum Chriſti D. *Hi qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod* OCCULTE *crimen admittunt, ipſi ſe viva perſuaſione decipiunt, ſi eis videtur propterea communicare, & officium implere debere, quod homines* OCCULTATIONE *criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva ſunt, ut caveri non poſſint, pro quibus*

expiandis quotidie Deo clamamus & dicimus, Dimitte nobis, &c. illa crimina caveantur, quæ publicata ſuos autores faciunt humano damnari judicio. Et continuo ſermone: *Qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam juſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſa communicant; immo vero dupliciter contra ſe iram divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam ſingunt, & contempto Dei judicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt. Quapropter Deum ſibi facilius placabunt illi, qui non humano convicti judicio, ſed ultro crimen cognoſcunt, quia aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis quales occulti ſunt ipſi, in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, ab altari cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, vitam tamquam mortuam plangunt, certi quod reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non ſolum amiſſa recipiunt, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniunt.*

XIV. Exemplum memorabile ſilentio prætermittendum non eſt Genebaldi Laudunenſis Epiſcopi, cui antequam ſacris ordinibus initiaretur, & Monachi votis aſtringeretur, neptis ſancti Remigii Epiſcopi Remenſis collocata fuerat. Hunc S. Remigius

ex monaſterio aſſumpſerat ad Epiſcopatum Laudunenſem : ſed cum vinculis clauſtri ſolutus provinciam Epiſcopi capeſſeret, uxore priſtinæ familiaritati conjugis non renuente, & conjugii nomine culpam prætexente, duos ex ea liberos clam ſuſcepit, maſculum ſcilicet, cui nomen dedit Latroni, & fœminam quam Vulpeculam appellavit. Hanc refert hiſtoriam Autor Vitæ ſancti Remigii citatus a R. P. Morino ſub nomine Hincmari, libro v. Hiſtoriæ Sacramenti Pœnitentiæ cap. II. pagin. 287. *Exhortato*, inquit, *Genebaldo Remigius pœnitentiam indixit, factaque manſiuncula cum lecto in modum ſepulcri, & parviſſimis feneſtellis ac oratorio, quæ hodieque manent, ſecus Eccleſiam S. Iuliani, Genebaldum in ea recluſit, & clerum ac parochiæ ipſius populum per ſeptem annos, ut & propriam parochiam gubernavit, & unam diem Dominicam Remis, alteram apud Laudunum celebravit.*

XV. Eandem ætate ſua floruiſſe diſciplinam teſtificatur aperte S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Homilia I. in Quadrageſima, relata tom. v. Bibliothecæ Patrum parte III. pag. 743. Poſtquam enim de peccatis minutis dixit, quæ veniam obtinent oratione & compunctione cordis, de peccatis mortalibus

mortalibus reconditis, quæ a publicis & manifeſtis diſtinguit, ſic fatur: *Si vero quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale commiſit, aut ſi ſidem falſo teſtimonio expugnavit ac prodidit, aut ſacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit, ſi veram baptiſmi tunicam & ſpecioſam virginitatis holoſericam cœno commaculati pudoris infecit, ſi in ſemetipſo novum hominem nece hominis occidit, ſi per augures & divinos atque incantatores captivum ſe diabolo tradidit: hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecreta, ſatisfactione non poſſunt.*

Sed nullum dubitandi locum relinquit idem Cæſarius, quin pœnitentiam publicam ſecretis peccatis medicinam adhibendam cenſuerit Homilia I. ex quatuordecim, quas in inveſtiganda antiquitate laborioſus, & de republica literaria & Eccleſia Gallicana bene meritus doctiſſimus Stephanus Baluzius, Bibliothecæ Magni Colberti Præfectus, publici juris fecit anno M DC LXIX. Hæc enim verba inducit ori hominis pœnitentis, quæ recondita peccata expianti potiſſime convenire videntur: *Iam enim me nolo foris quaſi juſtum oſtendere, & iniquitates vel rapinas intus in animis meis abſcondere. Iam velut*

Digitized by Google

ille publicanus incurvatus in terram, oculos ad cælum levare non audeo; ſed vulnera peccatorum meorum illi cæleſti medico curanda humiliter offero. Et ideo rogo, ut omnes pro me illius miſericordiam ſupplicetis, ut putredines peccatorum meorum uſque ad vivum curare, & ad veram ſanitatem revocare dignetur. Timeo enim ne in me impleatur illud quod Dominus de hypocritis dixit: Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et ideo, ſicut jam dixi, qualem me intus eſſe cognoſco, talem foris oſtendo. Et quia huc uſque pretioſis veſtibus me foris ornabam, & intus in anima mea peccatorum lepra perfuſus eram; ideo cilicio indutus & toto corde pænitentiam petens rogo, ut veſtris orationibus a peccatorum meorum paralyſi merear liberari. Et paulo inferius pag. 9. *Et hoc attendite, fratres, quod qui pænitentiam petit, excommunicari ſe ſupplicat. Denique ubi accepit pænitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur. Ideo enim ſe excommunicari rogat, quia ad percipiendam Euchariſtiam Domini indignum eſſe ſe judicat. Et propterea aliquandiu ſe ab iſto altari alienum vult fieri, ut ad illud altare quod in cælo eſt, mereatur cum ſecura conſcientia pervenire. Propterea ſe a communione corporis & ſanguinis Chriſti quaſi reum & impium cum grandi*

Digitized by Google

reverentia vult removeri, ut per ipſam humilitatem tandem aliquando ad communionem mereatur ſacroſancti altaris accedere. Quæ cum ita ſint, invictiſſime conſtat, olim pœnitentias publicas ab Eccleſia impoſitas interdum fuiſſe pro quibuſdam peccatis reconditis & occultis. Sed antequam huic capiti extremam manum apponam, non debeo prætermittere quod refert doctiſſimus Mabillonius, de Eccleſia Catholica meritiſſimus Monachus S. Benedicti, libro 1. Analectorum ſacrorum, pag. 347. ex Ekkehardo juniore, libri de Caſibus Monaſterii S. Galli capite 2. ex quo intelligimus, nono ſæculo valde inclinato communem permanſiſſe pœnitentiæ publicæ pro peccatis quibuſdam occultiſſimis & non graviſſimis diſciplinam. *Sed tamen prætermittere non poſſum* (inquit Mabillonius, cujus ſinceritatem docti Calviniſtæ in ſuſpicione non ponunt) *inſigne exemplum de parentibus Iſonis Monachi Sancti-Gallenſis, qui cum quadrageſimam totam cum ſumma rerum victualium abſtinentia duxiſſent, ſeparatim cubantes, nihilominus ipſo Sabbati ſancti die tentatione victi, cruperunt in lamentum, tunc cineribus adſperſi, Presbyteri loci nudipedes coram omnibus civibus, veſtigiis procidunt. Ille vero pœnitentia eorum accepta, pro foribus ba-*

ille publicanus incurvatus in terram, oculos ad cælum levare non audeo; ſed vulnera peccatorum meorum illi cæleſti medico curanda humiliter offero. Et ideo rogo, ut omnes pro me illius miſericordiam ſupplicetis, ut putredines peccatorum meorum uſque ad vivum curare, & ad veram ſanitatem revocare dignetur. Timeo enim ne in me impleatur illud quod Dominus de hypocritis dixit: Veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et ideo, ſicut jam dixi, qualem me intus eſſe cognoſco, talem foris oſtendo. Et quia huc uſque pretioſis veſtibus me foris ornabam, & intus in anima mea peccatorum lepra perfuſus eram; ideo cilicio indutus & toto corde pœnitentiam petens rogo, ut veſtris orationibus a peccatorum meorum paralyſi merear liberari. Et paulo inferius pag. 9. *Et hoc attendite, fratres, quod qui pœnitentiam petit, excommunicari ſe ſupplicat. Denique ubi accepit pœnitentiam, coopertus cilicio foris ejicitur. Ideo enim ſe excommunicari rogat, quia ad percipiendam Euchariſtiam Domini indignum eſſe ſe judicat. Et propterea aliquandiu ſe ab iſto altari alienum vult fieri, ut ad illud altare quod in cælo eſt, mereatur cum ſecura conſcientia pervenire. Propterea ſe a communione corporis & ſanguinis Chriſti quaſi reum & impium cum grandi*

Digitized by Google

reverentia vult removeri, ut per ipſam humilitatem tandem aliquando ad communionem mereatur ſacroſancti altaris accedere. Quæ cum ita ſint, invictiſſime conſtat, olim pœnitentias publicas ab Eccleſia impoſitas interdum fuiſſe pro quibuſdam peccatis reconditis & occultis. Sed antequam huic capiti extremam manum apponam, non debeo prætermittere quod refert doctiſſimus Mabillonius, de Eccleſia Catholica meritiſſimus Monachus S. Benedicti, libro 1. Analectorum ſacrorum, pag. 347. ex Ekkehardo juniore, libri de Caſibus Monaſterii S. Galli capite 2. ex quo intelligimus, nono ſæculo valde inclinato communem permanſiſſe pœnitentiæ publicæ pro peccatis quibuſdam occultiſſimis & non graviſſimis diſciplinam. *Sed tamen prætermittere non poſſum* (inquit Mabillonius, cujus ſinceritatem docti Calviniſtæ in ſuſpicione non ponunt) *inſigne exemplum de parentibus Iſonis Monachi Sancti-Gallenſis, qui cum quadrageſimam totam cum ſumma rerum victualium abſtinentia duxiſſent, ſeparatim cubantes, nihilominus ipſo Sabbati ſancti die tentatione victi, eruperunt in lamentum, tunc cineribus adſperſi, Presbyteri loci nudipedes coram omnibus civibus, veſtigiis procidunt. Ille vero pœnitentia eorum accepta, pro foribus ba-*

ſilicæ eo die & nocte inſequente incommunicatos juſſit ſtare. Officio diei peracto ad proximæ villæ Presbyterum fama ſanctum profecti ſunt; precati ut craſtino Paſchæ die ſibi communicare liceret. Ille vero ſeverius objurgare & rejicere. Hi reverſi in ſua jejuni vigilem flentes duxerunt noctem. Die Paſchæ matutini pro foribus ſtant, cruce ante Miſſas exportata extremi ſequuntur: Presbyter autem illos rogante populo, extremos locat. Communione omnium finita, Presbyter manibus apprehenſos ad aram duxit, pyxide communionis aperta lacrymis perfuſos communicavit.

CAPUT III.

Diluuntur objectiones Dallæi & ſectatorum ejus, adverſus ſententiam capite quod anteceſſit, comprobatam.

DUPLICIS generis objectiones adverſus pœnitentiam publicam, quam defendimus pro peccatis occultis pœnitentibus impoſitam fuiſſe primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, profert Dallæus. Primas efformavit ratiocinationibus Theologicis; poſtremas vero aſſumpſit ex ſcriptis ſanctorum Pa-

trum, quos ſuæ opinioni patrocinari ſibi perſuaſit. Utriſque jam reſpondere quanta poterimus diligentia, neceſſe eſt.

I. Conceptis verbis ſic loquitur Miniſter libro IV. de Confeſſione capite 20. pag. 429. in fine. *Præterea ipſa rei abſurditas ſatis, quid ſit ſequendum, per ſe docet. Quis enim exiſtimarit quiſquis vel ſola animi concupiſcentia, mentiſve conſilio aut cogitatione, adde etiam verbo aut facto aliquo, ex ira aut ſubita hujuſmodi perturbatione peccaſſet, in quibus omnibus adverſarii lethale aliquid ineſſe poſſe putant, eum ſtatim inter flentes aut ſtratos relegatum fuiſſe, ut conciliatus & concineratus ad aliquot annos vel menſes in Eccleſiæ conſpectu ſqualleret? Quid ſi in ſimile poſtea peccatum relapſus eſſet, (ut vix in hac carnis infirmitate caveri id poteſt) tunc eum ab Eccleſia extorrem reliquum quod ſupererat vitæ, publicæ communionis ſpe excluſum duxiſſe dixeris? Atqui hæc erat publicæ illius pœnitentiæ lex, ut nemini niſi ſemel concederetur.* Hoc argumentum ex opere P. Petavii Jeſuitæ doctiſſimi corraſit, de Pœnitentia publica vernaculo ſermone edito anno M DC XLIV. capite 10. num. 9. pag. 134. & 135. quod ſcripſerat, ut priorem ſententiam temperaret, vel potius revocaret, quam tuendam receperat in ſuis

ad Epiphanium notis, quas ſcripſerat anno M DC XXII.

At facile eſt reſpondere, minus crebro peccata cogitationum eſſe lethalia, quamvis quædam ita eſſe non ſit dubitandum. Incredibile vero eſt, motus iræ ſubitos aut libidinis, qui quotidie ex cœno naturæ corruptæ exſurgunt inconſulta ratione, implacabilem Deum ſemper habere. Quippe docet S. Auguſtinus Homilia XLIV. de verbis Domini cap. 6. pag. 66. Tomi X. cogitationes malas conſenſu vacuas non eſſe lethales. Hoc autem intima cogitatione reputandum eſt: nam magna diſſimilitudo exiſtit inter propoſitum ſeu deliberationem peccati, & ejuſdem voluntatem, aut revera commiſſionem. Hoc diſcrimine bene ac ſapienter intellecto, Patres Concilii Neocæſarienſis canone IV. dixerunt: *Si quis mulierem concupiſcens, propoſuerit, ſive deliberaverit cum ea concumbere, ejus autem concupiſcentia ad opus non venerit, videtur eſſe gratia ſervatus.* ἐὰν πρόθηταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθευδῆσαι μετ' αὐτῆς, μὴ ἔλθῃ δ' εἰς ἔργον αὐτοῦ ἡ ἐνθύμησις, φαίνεται ὅτι ὑπὸ τῆς χάριτος ἐῤῥύσθη. Quippe ἐνθύμησις concupiſcentiam melius quam deſiderium efformatum ſignificat, quod aliquem conſenſum voluntatis deſignat, quo

ſæpe vacat concupiſcentia. Ex his autem facile eſt colligere, raro jam Eccleſiæ ætate provecta & ad ſenium vergente malas cogitationes eſſe lethales ; ſed magis inſolens fuiſſe ineunte ætate Eccleſiæ, qua Chriſtianorum vita ſanctior, virtutumque acceſſionibus cumulatior erat. Verumtamen fateri neceſſe eſt, primis Eccleſiæ temporibus confeſtim actam fuiſſe quandam pœnitentiam publicam pro quibuſdam peccatis cogitationum, quibus voluntatis conſenſus conjunctus fuerat, quo non amplius venialia, ſed mortalia evaſerant. Id enim intelligimus ex S. Cypriano, libro de Lapſis, pagin. 203. editionis Rigaltii MDCXLVIII. de quo amplius dicturi ſumus infra capite VI. *Denique quanto & fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti ? quoniam tamen de hoc* VEL COGITAVERUNT, *hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Et ex Tertulliano libri de Pœnitentia capite IV. *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœni-*

tentiam ſpopondit, dicens ad populum: Pœnitere, & ſalvum faciam te. Verumtamen improbabile eſt, pœnitentes pro omni ſpecie peccati mortalis percurriſſe omnes gradus ſeu claſſes, flentium, audientium, ſubſtratorum & conſiſtentium. Defendo tantummodo, eis aliquo tempore prudentia & arbitrio Epiſcopi præfinito, Euchariſtiæ participatione interdictum fuiſſe: atque ejuſmodi gradus pœnitentiæ ſolos homines capitalium criminum reos, confeſſos ſponte, aut convictos luſtraſſe. Hoc enim perſpectum habemus ex Epiſtola S. Gregorii Nyſſeni ad Letoium, & ex ſecunda Canonica S. Baſilii ad Amphilochium, quas infra explicabimus cap. IX. Quod ſpectat vero relapſos, quos incredibile putat Dallæus fuiſſe toto vitæ tempore a communione ſecretos, quippe cum unica vice pœnitentia publica peccatoribus imponeretur: id etiam intelligere neceſſe eſt de peccatoribus capitalium criminum, idololatriæ, mœchiæ & homicidii reis, uti demonſtravit R. P. Morinus, Oratorii JESU Preſbyter, lib. V. Hiſtoriæ ſacramenti Pœnitentiæ, quem hic exſcribere tædio eſſet. Igitur cum plurima ſupereſſent peccata, quibus nominatim Canones pœnas non præſcripſerant, ſed in arbitrio & poteſtate Epi-

Digitized by Google

ſcopi prudenter imponendas reliquerant: quotquot homines ejuſmodi peccatis lethalibus & contra decalogum, a canonibus prætermiſſis inquinabantur, communione corporis Chriſti, Epiſcopo jubente, arcebantur aliquandiu. Et quemadmodum ætate S. Cypriani prava cogitatio conſentiente voluntate ad committendam idololatriam plene pœnitentia publica purgabatur, idem de cogitationibus mœchiæ & homicidii obſervatum fuiſſe, non ſolum credibile, verum etiam probabile eſt.

II. Si tot homines, objectat Dallæus, ex veteris Eccleſiæ ritu & conſuetudine pœnitentiam publicam egiſſent peccatis lethalibus inquinati, quot ætate noſtra beneficio confeſſionis auricularis indigent, & ad Sacerdotes confugiunt; templa penitus vacua ac deſerta erant: nam præter decem aut viginti fideles, quibus communione Euchariſtiæ interdictum non fuiſſet, vix credibile eſt in Eccleſia permanſiſſe.

Sed quam falſa eſt ejuſmodi Chriſtianorum majorum noſtrorum notio, & quam diſſimilis effigies! Quis enim ſibi perſuadeat, incunte ætate Eccleſiæ, cum Chriſti floreret reſpublica ſanctis & æquis legibus, tot peccatis mortalibus inquinatos fuiſſe fideles,

Digitized by Google

quot jam his poſtremis temporibus Eccleſiæ ſordeſcunt, qui quorumdam pœnitentiæ præfectorum facilitate ac lenitate abutentes, haud ſcio an mollitiam dixerim, circulatim abſolutione eriguntur, & iteratione peccati recidunt? Quis hoc ſibi perſuadeat de populo Chriſtiano, de quo ait Lactantius Inſtitutionum libro v. cap. 9. pag. 485. *Noſtro autem populo quid horum poteſt objici, cujus omnis religio eſt, ſine ſcelere ac ſine macula vivere?* Veteres Eccleſiæ Patres ſemel baptiſmo tincti peccata mortalia adeo abhorruerunt, ut ea ſemel commiſiſſe reliquo vitæ curſu incogitabile videatur. Quid mirum ergo ſi numquam exomologeſim peccatorum ſuorum feciſſe, aut pœnitentiam publicam peregiſſe inveniantur? Ex frequentia & multitudine confeſſionum hodiernarum innumerabilia peccata Chriſtianorum intelligimus. Igitur cum ſanctiſſimi Eccleſiæ aleſcentis Patres, Athanaſii, Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Ambroſii, Auguſtini, poſt baptiſmum pœnitentiam aut exomologeſim feciſſe non videantur: concludendum eſt, eos his peccatis gravioribus inquinatos non fuiſſe, nec viam caritatis & decalogi unquam deflexiſſe.

III. At, inquiunt, ſi ex conſuetudine &

uſu veteris Eccleſiæ pro peccatis occultis impoſita fuiſſet pœnitentia publica, difficile erat pœnitentibus ejuſmodi infamiam ſeu ignominiam non inferri, aut ſaltem eorum exiſtimationem non violari. Nam licet ex confeſſione cognita a Sacerdotibus ſecreti tenacibus clauſa tenerentur, ea ex pœnis criminibus præſcriptis reſcire facile erat: adeoque difficile probrum ſaltem ſuſpicionis evitare homini pœnas adulterio aut homicidio impoſitas danti & ſuſtinenti.

Hanc objectionem jam ſuperiori capite aſſumptis ex Tertulliano & S. Auguſtino locis diluimus. Sed rem extra omnem controverſiam collocavit R. P. Morinus, dum oſtendit olim frequentem fuiſſe aſceſim pœnitentiæ publicæ ſolitario pietatis ac devotionis inſtinctu ſuſceptæ: eamque confirmat exemplo celebri Regis Vambæ, qui nullo peccato pollutus, quod Reges non ſolent, pœnitentiam egerat. Ex his enim intelligimus, pœnitentiam publicam honorificam antiquis temporibus fuiſſe, ac nemini notam ignominiæ adſperſiſſe: quippe cum redintegrationis amoris cum Deo argumentum eſſet invictiſſimum, & reconciliationem gratiæ factam eſſe, teſtificatione omni exceptione majore ſignificaret. Sed ita ſe res

Digitized by Google

habuiſſe olim intelligimus omni dubio poſtpoſito, ex diſſimilitudine & differentia hominum innocentium ſponte & libere pietatis inſtinctu pœnitentium, & peccatorum impoſita neceſſitate ab Eccleſia ad eluenda peccata, culpaſque mortales laborantium. Etenim peccatores & rei ſacris ordinibus arcebantur, non alii. Nullam enim infamiæ notam inferebat pœnitentia, ſed peccatum. Non decet hominem literatum opus perfectum reſarcire, & doctorum virorum lucubrationes corradere. Quamobrem ne mea inutili craſſamento laboret, ad libri v. capita 18. 20. 21. & 22. Hiſtoriæ ſacramenti Pœnitentiæ doctiſſimi P. Morini Lectorem cum bona gratia remitto. Inconſulta & inconſiderata agendi ratione non parum attonitus Joannis Dallæi, qui cum decennio integro poſt evulgatam Hiſtoriam Pœnitentiæ P. Morini, ſuum opuſculum de Confeſſione publici juris fecerit; nihil ad argumenta P. Morini repoſuit, ac de eo nequidem mentionem fecit. Etenim cum incogitabile ſit, ex aſpernatione aut ignorantia Dallæum prætermiſiſſe; valde credibile eſt propriæ debilitatis conſcium ab omni mentione tanti Doctoris conſulto abſtinuiſſe.

IV. Jam ergo aſſumptas ex operibus Pa-

Digitized by Google

trum objectiones, quas ſuperiori capite prætermiſimus, excutere conducibile eſt.

Prima ſumitur ex Commentario cujuſdam Hilarii Diaconi in Epiſtolas S. Pauli, vulgo, ſed perperam S. Ambroſio adſcripto, in 1. ad Corinth. cap. 5. ℣. 1. & 2. pag. 1894. lit. B. * *Quod omnes crimen ejus ſcirent.* (loquitur de Corinthio paterni tori violatore.) *Publice enim novercam ſuam loco uxoris habebat: in qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen.* Et paulo ante: *Si quis poteſtatem non habet, quem ſcit reum, abjicere, aut probare non valet, immunis eſt: & judicis non eſt ſine accuſatore damnare: quia & Dominus Iudam cum fur eſſet, ſciebat; ſed quia non eſt accuſatus, minime abjecit.*

Secunda exſcribitur ex Autore Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, quæ inter Opera S. Auguſtini recenſentur, quæſtione ſcilicet CII. in qua quærenti Novatiano, cur Catholici corpus Domini tradant iis quos noverunt peccatores, ita reſpondet: *Quaſi poſſint ipſi accuſatores eſſe, qui ſunt judices. Si autem accuſati fuerint, & manifeſtati, potuerunt abjici. Nam quis judex accuſantis ſumat perſonam? Nam ſi ipſe Dominus Iudam*

* Dallæus l. 4. de Confeſſ. cap. 22. pag 448.

paſſus eſt, quem ſciebat furem eſſe, & ea quæ mittebantur, exportare, nec eum qui accuſatus non eſt, abjecit; hoc exemplo uti oportet, ut eum abjicere non liceat, qui publice detectus non fuerit. Et mox: *Nec Dominus ei quem latronem ſciebat, corpus ſuum denegavit.*

Tertia ex Epiſtola III. Innocentii I. Papæ ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, cap. 4. *Virorum autem latente commiſſo, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur.* Moxque ait, *probatione ceſſante vindictæ rationem conquieſcere.*

Quarta denique ex VIII. canone Concilii Vaſenſis habiti anno Chriſti CCCCXLII. hoc eſt, annis duodecim poſt mortem S. Auguſtini. *Si ſe tantum Epiſcopus alieni ſceleris conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil proferat; ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret. Qui ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicæ ingeſſerit, etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his qui nihil ſciunt ſecedere ad tempus pro perſona majoris autoritatis jubeatur, illo, quandiu probari nihil poteſt, in communione omnium, præterquam ejus qui eum reum judicat, permanente.*

Sed generatim atque univerſe de his Patrum ſententiis reſpondeo, excommunicationem quam ſpectant, non eſſe confundendam cum prohibitione medicinali a participatione corporis Chriſti, quæ indiviſim adhærebat pœnitentiæ pro peccatis quibuſvis mortalibus impoſitæ, quam poſtulabant pœnitentes, ut ait S. Cæſarius: *Qui pœnitentiam petit, excommunicari ſe ſupplicat*; ſed mortalem ac violentam intelligendam eſſe, qua peccatores contumaces, inobedientes, & indurati, & manifeſti, extra Eccleſiæ ſepta ejiciebantur, & veluti membra putrida ac gangræna tabida a corpore Chriſti amputabantur. Hoc vero quod veteres factitarunt, hodie confeſtim in Eccleſia peragitur: neminem enim a corpore Chriſti ſeparamus, niſi convictum, aut ſponte confeſſum. Prohibitio quæ fit ſponte confeſſis & pœnitentibus, eſt medicinalis: altera quæ fit contumacibus & impœnitentibus, eſt mortalis, ſecundum mentem S. Auguſtini ſupra laudati. Igitur quamvis olim peccatores occulti ad communionem corporis Chriſti admitterentur, quemadmodum ipſe Judas ab Chriſto Domino non paſſus erat repulſam; hoc eſt, non excommunicarentur ignoti: iſta tamen diſciplina non impedie-

bat, quominus pœnitentiam ſponte & humiliter petentibus, ac ſua peccata confeſſis, communione interdiceretur aliquo tempore, ut poſtea fructibus pœnitentiæ digniores redditi & effecti, ad cœnam Agni immaculati admitterentur. His inſtitutis non repugnant Hilarius Diaconus, Autor quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, neque Concilium Vaſenſe: ſed & Innocentius Papa conceptis verbis docet, peractam fuiſſe Romæ publicam pœnitentiam pro peccatis quibuſdam gravioribus occultis, ut ſupra obſervavimus.

CAPUT IV.

Probatur, confeſſionem auricularem uſu receptam fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, S. Dionyſii, S. Clementis Romani, & S. Irenæi explicationibus.

EGo vadari nollem eos Scriptores Eccleſiaſticos, qui opera quæ ſuperſunt S. Clementis & S. Dionyſii, S. Clementi Romano Pontifici, aut S. Dionyſio Areopagitæ adſcribunt. Non enim puto viris eruditis & in antiquitate Eccleſiaſtica verſatis ejuſmodi

modi ſententiam placere poſſe. Sed cum apud ipſoſmet Proteſtantes iſtorum ſcriptorum autoritas non penitus ceciderit, nec prorſus repudiata ſit, qui fatentur cum omnibus doctis, ſi non Areopagitæ, ſaltem cuidam Dionyſio quinti vel ſexti ſæculi adſcribi debere, & paucis abhinc annis quædam opera S. Clementis nomine publici juris fecerunt: tantorum virorum teſtimonia veritati tuendæ confeſſionis auricularis propitia ſilentio prætermittere non debemus.

I. Anno Domini MDCLXXVII. quidam celato nomine e ſecta Proteſtantium Angliæ typis mandari curavit Oxoniæ in Theatro Sheldoniano duas Epiſtolas ſub titulo S. Clementis Romani ad Corinthios, Græce & Latine ſcriptas, inter quas de ſecunda ſic cenſet in Præfatione: *Quin etiam Epiſtolæ ſecundæ reliquias, imparis licet fidei, mantiſſæ loco adjecimus. Et quidem cum in vetuſtiſſimo S. Theclæ ſcripturarum exemplari compareat; id ſaltem meruit, ut non cum reliqua pſeudo-Clementinarum farragine, quaſi omnino rejectanea habeatur. Multum nimirum intereſt, utrum liber aliquis ſit apocryphus, an ſuppoſititius; dubiæ fidei, aut certiſſimæ falſitatis. De ſecunda hac Epiſtola inquit Euſebius l.* III.

Hiſtoriæ capite 38. Ἰστέον δ' ὡς καὶ δευτέρα τις εἶναι λέγεται τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολή. οὐ μὴν ἔθ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ, καὶ ταύτην γνώριμον ἐπιστάμεθα. *Hæc quidem durioribus verbis reddiderunt Rufinus & Hieronymus : ſed fides eſſe debet penes autorem, non interpretem. Abunde ſufficiet huic Epiſtolæ, ſi liceat illi in ſecundis conſiſtere : nec ad eam pervenit inverecundiam, ut ex adblandiente clariſſ. Cotelerii ſuffragio primam velit antevertere.*

At vero hujus Epiſtolæ pag. 17. hæc verba in rem confeſſionis peccatorum leguntur. *Quamdiu ſumus in hoc mundo, de malis quæ in carne geſſimus, ex toto corde reſipiſcamus, ut a Domino ſalvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Poſtquam enim e mundo exivimus, non amplius poſſumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* μετὰ γὰρ τὸ ἐξελθεῖν ἡμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, οὐκέτι δυνάμεθα ἐκεῖ ἐξομολογήσασθαι, ἢ μετανοεῖν ἔτι. Ex his perſpectam habemus diſſimilitudinem exomologeſis & pœnitentiæ, ſeu actionis pœnitentiæ : adeoque ſpectat S. Clemens confeſſionem peccatorum, cum præſertim teſtificetur eſſe de malis quæ in carne geſſimus. At vero ſi Epiſtolam ejuſdem Clementis ad Jacobum fratrem Domini non omnino rejiciamus, dubitandi locus non relinquetur, quin de confeſſione

Sacerdotibus facienda locutus ſit. Sed inſtare Dallæo interpolatæ Epiſtolæ ope non expedit. Igitur quid de ſancto Dionyſio ſentiendum ſit, videamus.

II. Hæc verba leguntur in Epiſtola ad Demophilum Monachum, cui quandam acerbitatem exprobrans ait: *Tu vero, ut tuæ literæ declarant, accidentem Sacerdoti illum, quem impium & peccatorem dicis, neſcio quomodo per te præſens repuleris: tum ille quidem deprecabatur, & fatebatur ſe ad malorum medicinam adveniſſe; tu autem nihil veritus, bonum Sacerdotem cum quadam inſolentia convitiatus es, quod miſeratus eſſet pœnitentis, atque impium juſtificaſſet.* Σὺ δὲ, ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ, καὶ προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ, τὸν, ὡς φῂς, ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως καθ᾽ ἑαυτοῦ παρὼν ἀπελάκτισας· εἶτα ὁ μὲν ἐδεῖτο καὶ ὡμολόγει πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἐληλυθέναι· σὺ δὲ οὐκ ἔφριξας, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀγαθὸν ἱερέα μετὰ θρασέους περιεπηλάκιζες, ἐλεκτὸν εἶναι μετανοοῦντα, καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα. Quis enim non videt in hoc ſpeculo veram effigiem confeſſionis auricularis, dum reſpicit Preſbytero accidentem impium & peccatorem, veniam ſcelerum deprecantem, & fatentem ſe ad malorum medicinam adveniſſe. Enimvero qua ratione aut pharmaco curari, qua manu tra-

ctari potuerunt ægri vulnera, niſi medico ſeu Sacerdoti detecta, & confeſſione integra declarata? Præterea quid magis remiſſionem peccati in Sacerdotis poteſtate poſitam eſſe, ſignificat, quam peccatoris juſtificatio quam efficit? καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα. Sed his naſcentis ac pæne emergentis Eccleſiæ e Chriſti latere monumentis, denſis obſcuræ antiquitatis tenebris involutis, atque infinitis diſputationibus traditis, amplius immorari non opus eſt. Ad ea igitur pergamus, quæ ex antiquitatis viſceribus feliciori partu eruperunt, & quæ extra omnem diſputationis & controverſiæ aleam poſita, confeſſionem auricularem uſu perpetuo fuiſſe receptam demonſtrant.

III. Plura proferre ſueverunt Scriptores catholici ex Sancto Irenæo in rem confeſſionis auricularis, quæ nihil attinere defendunt Proteſtantes. Primus locus aſſumitur ex libro 1. adverſus hæreſes capite 9. pag. 73. in quo mentionem facit quarumdam mulierum, quæ ad Eccleſiam Catholicam reverſæ, confeſſione declaraverant, ſe a quodam nebulone, cui nomen erat Marco, prava libidine accenſo, vitiatas fuiſſe. *Adhuc etiam & amatoria & adlectantia efficit, ut & corporibus ipſarum contumeliam irroget,*

hic idem Marcus quibuſdam mulieribus, licet non univerſis. Hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei CONFESSÆ SUNT, *& ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo, & velut cupidine inflammatas valde illum dilexiſſe.* S. Epiphanius hujus Marci hæreſim referens, de his mulieribus ait, ἐξωμολογήκαντι, ut eas confeſſas eſſe ſignificet. Hæreſi XXXIV.

Antequam hunc locum Irenæi accurate diſcutiamus, obſervare opus eſt, ejuſmodi mulierum confeſſionem pro ſimplici ac ſpontanea declaratione, ac cuivis facta ſui errati confeſſione, accipiendam non eſſe; ſed ex ea intelligendam eſſe confeſſionem ſeu declarationem religioſam: quam quidem hæc verba, *converſæ ad Eccleſiam*, quæ hæc antecedunt, *confeſſæ ſunt*, comprobant, & exemplum quod continuo ſermone refertur, conjugis cujuſdam Diaconi, quæ ſibi ſtuprum ab eodem Marco illatum fuiſſe ſimiliter confeſſa, impoſitam ſibi gravem pœnitentiam perfecerat. Ex quo ſecundus S. Irenæi locus aſſumitur. *Et ut Diaconus eorum qui ſunt in Aſia, ſuſcipiens eum in domum ſuam, inciderit in ejuſmodi calamitatem. Nam cum eſſet uxor ejus ſpecioſa, & ſententia & corpore corrupta eſſet a mago iſto, & ſecuta eum eſſet multo tempore, poſt deinde cum magno labore fra-*

Digitized by Google

tres eam convertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummavit, plangens & lamentans ob hanc quam paſſa eſt ab hoc mago corruptelam. Nemo dubitare poteſt, quin religioſa ſit hujus mulieris confeſſio : quæ quidem eamdem refert ſpeciem, quam aliarum confeſſio, quæ iſtum Marcum deperibant. Idem etiam dici poteſt de confeſſione Cerdonis hæretici ab eodem S. Irenæo relata lib. III. cap. 4. *Cerdon autem qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino, qui fuit octavus Epiſcopus, ſæpe in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologeſim faciens, &c.* Euſebius Cæſarienſis hæc referens libro IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite II. utitur hoc participio, ἐξομολογούμενος, quod vertit Abbas Billius, *pænitentiam agens*, & melius Henricus Valeſius, *confeſſus eſt errorem ſuum.* Quæ cum ita eſſe, omni homini cum cura Sancti Irenæi opera legenti videantur, ego obfirmato pectore jure merito defendo, neminem hominem poſſe revocare in dubium, quin his temporibus confeſſionis peccatorum uſus in Eccleſia receptus fuerit.

IV. Eccleſia catholica circa materiam confeſſionis unum defendit tantum, ſcili-

Digitized by Google

cet omnibus fidelibus poſt baptiſmum lapſis in peccata mortalia, impoſitam ſemper fuiſſe neceſſitatem ea confitendi miniſtris Eccleſiæ, ſive clam, ſive palam, ad obtinendam eorum veniam miniſterio clavium. Fatemur enim perlibenter, quibuſdam viciſſitudinibus obnoxiam fuiſſe hanc diſciplinam in Oriente & Occidente, tum ineunte, cum adulta ætate Eccleſiæ; ſed ſubſtantiam ſeu naturam confeſſionis eamdem ſemper & immutabilem permanſiſſe, uti fuſe demonſtravit R. P. Morinus libro v. Hiſtoriæ ſacramenti Pœnitentiæ, quem hic exſcribere non opus eſt. Sed cum ejuſmodi confeſſio manifeſte intelligatur ex tribus locis S. Irenæi modo citatis, inficiari nemo poteſt, quin bene ac ſapienter a catholicis Theologis in rem confeſſionis proferantur.

V. Quamvis inter eruditos nemo homo negare poſſit, olim exomologeſim pro integra actione pœnitentiæ acceptam fuiſſe ab antiquis Scriptoribus, ut obſervarunt doctiſſimus Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, in ſuis Obſervationibus, & R. P. Joannes Morinus in Hiſtoria ſacramenti Pœnitentiæ, multique alii, iſtudque nomen etiam litaniæ aliquando continuis temporibus impoſitum fuiſſe, ut atteſtatur S. Iſi-

dorus Hiſpalenſis lib. VI. Originum, in fine. *Sed nunc utrumque vocabulum ſub una ſignificatione habetur, nec diſtat vulgo utrum litaniæ, an exomologeſis dicantur.* Verumtamen hoc vocabulum grammatice ſumptum nihil aliud ſignificat, quam confeſſionem, nec ante hæreſim Novatiani alteri rei impoſitum fuiſſe conſtat, ſcilicet ante annum Chriſti circiter CCLV. tempore Cornelii Papæ, annis CL. poſt mortem S. Irenæi, qui 1. Februarii obiit anno CVIII. Nec dubitandi locus relinquetur, quin ita ſe res habuerit, ex omnibus ſtationibus pœnitentiæ ſive gradibus, flentium, audientium, ſubſtratorum & conſiſtentium, qui apud Autores qui poſt exortam hanc hæreſim ſcripſerunt, incurrunt, ex quibus integra conſtitit actio pœnitentiæ ſeu ſatiſfactio. Quæ cum ita ſint, non potuit S. Irenæus intelligere per exomologeſim, niſi ſolam confeſſionem ſeu peccatorum ſimplicem declarationem. Idipſum vehementer comprobant Canones Apoſtolorum & Concilium Illiberitanum, antequam orco caput extulerit Novatianus, celebratum: ex quibus intelligimus non alias fuiſſe impoſitas pœnitentibus ab Eccleſia pœnas, præter depoſitionem ſeu abdicationem, miniſtris; & communionis interdictionem, laicis. *Epiſcopus*,

Digitized by Google

vel Presbyter vel Diaconus, fornicationis vel perjurii vel furti convictus, deponatur, & non ſegregetur. καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. Canon 24. Apoſtolorum, & 3. 5. 12. 13. 29. 43. 57. 58. 59. quibus congruunt Concilii Illiberitani canones 20. 22. 41. 46. 49. 62. & plures alii. At vero nemo ſibi finxit, abdicationem aut ſegregationem a communione, ex verbo *exomologeſis* intelligendam eſſe. Itaque concludendum, S. Irenæum hoc nomine nihil aliud ſignificare voluiſſe, quam quod naturaliter & grammatice ſonat, ſcilicet confeſſionem, & ſimplicem (nondum actione pœnitentiæ ad normam directa ſtationum & graduum) peccatorum enunciationem.

VI. Præterea cum certum atque evidens ſit, diu poſt S. Irenæum hos pœnitentiæ gradus inventos fuiſſe; non ſolum improbabile, verumetiam incredibile eſt, aliunde *exomologeſis* ſenſum atque explicationem accepiſſe, quam ex Novi Teſtamenti ſacris Scriptoribus. At vero luce clarius patet, eos hoc vocabulo ſimplicem peccatorum confeſſionem ſignificaſſe. S. Matthæi. cap. III. ℣. 6. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, *confitentes peccata ſua*. Epiſtola I. S. Joannis I. ℣. 9. ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. *Si confiteamur peccata noſtra*. Epiſtola S. Ja-

Digitized by Google

cobi cap. v. ℣. 16. ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. *Conſitemini alii aliis offenſiones.* Acta Apoſtolorum cap. XIX. ℣. 18. ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. *Conſitentes & annunciantes actus ſuos.* Quamobrem cum continuo tempore hoc nomen integræ actioni pœnitentiæ datum fuerit, non aliam ob cauſam impoſitum fuiſſe videtur, niſi quia initio rerum chriſtianarum nulla fuit pœnitentia aut actio pœnitentiæ ſine peccatorum confeſſione : adeoque valde credibile eſt, hoc nomen quod primam ac præcipuam pœnitentiæ partem ſignificabat, ad integram & univerſam pœnitentiæ actionem ac ritum tranſlatum fuiſſe. Hæc conjectura fundamentum habet in Eccleſiæ traditione : ex qua intelligimus, nomen *Miſſæ*, quod initio ſoli ſacrificio & oblationi corporis Chriſti competebat, ad alios Eccleſiæ ritus traductum fuiſſe, potiſſimum ex Concilio Milevitano II. *Vt preces vel orationes ſeu miſſæ quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſeu manus impoſitiones ab omnibus celebrentur.* Ex Caſſiano lib. III. cap. 5. Inſtitut. *Miſſa canonica celebrata, uſque ad lucem poſt hæc vigilias extendunt.* Et cap. 6. *Noſſe debemus nihil a ſenioribus noſtris, qui hanc eamdem matutinam*

Digitized by Google

ſolemnitatem addi debere cenſuerunt, de antiqua Pſalmorum conſuetudine immutatum, ſed eodem ordine miſſam, quo prius, in nocturnis conventibus perpetuo celebratam. Et capite II. *Verum ne hoc quidem ignorandum, die Dominico unam tantum miſſam ante prandium celebrari.* Gregorius Turonenſis lib. VI. Hiſtoriæ cap. 46. narrat, Chilpericum Francorum Regem *opuſcula vel hymnos ſive miſſas compoſuiſſe.* S. Iſidorus Hiſpalenſis in Regula Monachorum cap. VI. *In quotidianis officiis vigiliarum, primum tres Pſalmi canonici recitandi ſunt, deinde tres miſſæ Pſalmorum, quarta Canticorum, quinta matutinorum officiorum.* Obſervat idem, ſuo tempore nomen *confeſſionis* ad litaniam traductum eſſe, ut ſupra jam animadvertimus.

CAPUT V.

Explicantur ſententiæ Tertulliani & Origenis, probaturque, annis Chriſti CCXV. & CCLIV. *confeſſionem peccatorum lethalium uſu receptam fuiſſe.*

PRIMUS Tertulliani locus aſſumitur ex libro de Pœnitentia cap. IX. pagin.

146. edit. Rigaltii ann. MDCXLI. *Tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ, & unius, quanto in arto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt; ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Hic eſt locus multa cogitatione reputandus.

I. Non ſpectat Tertullianus eo loci confeſſionem ſoli Deo factam, ſed hominibus, etiamſi dicat, *qua delictum Domino confitemur.* Quippe cum de iis qui confiteri ſua peccata non ſatagunt, mentione facta, eos comparet cum iis qui in reconditis partibus corporis ſaucii, inſano timore ignominiæ ſibi inferendæ affecti, occultis vulneribus pereunt. Enimvero peccata noſtra ſive confeſſione revelata, ſive ea poſtpoſita, celata, Dei notitiam ſubterfugere nequeunt. *Pleroſque tamen*, inquit Tertullianus, *hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem*

differre, præſumo, pudoris magis memores quam ſalutis; velut illi qui in partibus corporis verecundioribus contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.

II. Conſtat etiam, Tertullianum jure divino inſtitutam confeſſionem exiſtimaſſe: quippe cum hujuſce libri capite XII. dicat a Domino inſtitutam exomologeſim. *Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam a Domino exomologeſim ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna reſtituit?*

III. Quis inſuper non videat, ipſum non ſolum omnia, ſed & omnis generis peccata mortalia confeſſionis legibus ſubjeciſſe conceptis verbis capitis II. ejuſdem libri? *Cui præminiſtrans pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam, uti quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto paret, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat.* Credo enim difficiliter, omnis generis peccata clarius ſignificari. Verumtamen capite IV. explicationem amplificat, ac peccata concupiſcentiæ nominatim pœnitentia ejuſmodi ſeu confeſſione expiari opor-

tere docet. *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit, dicens ad populum: Pœnitere, & ſalvum faciam te.* Opinioſi eſſet hominis ſibi perſuadere, Tertullianum eo loci ad confeſſionem non reſpexiſſe, qui nominatim eam non exprimit: quippe cum continuo hujus libri de Pœnitentia ſermone amplificato teſtificetur, nullam exiſtere ſine confeſſione pœnitentiam, dum ait cap. IX. ſupra laudato, *ſatisfactionem confeſſione diſponi, confeſſionem pœnitentia naſci, pœnitentia Deum mitigari.*

IV. At inquit Dallæus libri III. de Confeſſione capite 4. pag. 207. & 208. Tertullianum recognoſcere ejuſmodi confeſſionem, de qua loquitur, hoc nomine Græco ἐξομολογήσεως ſignificari, quod non oralem peccatorum enumerationem ſignificabat, ſed generalem cordis, non oris confeſſionem ſeu recognitionem, integra actione pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis laboribus promulgatam, uti explicaverunt viri doctiſſimi Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, Dionyſius Petavius Jeſuita, & clariſſimus Rigaltius, ex conceptis Tertulliani verbis capite IX. libri de Pœnitentia. *Itaque exomologeſis proſternendi*

Digitized by Google

& humiliſicandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem.

Inter homines literatos dubitat nemo, quin jure merito tanti viri exiſtimaverint, ætate Tertulliani *exomologeſim* non ſimplicem ac ſolitariam confeſſionem ſeu peccatorum enumerationem oralem ſignificaſſe, ſed totam & integram actionem pœnitentiæ, gradibus & ſtationibus fletus, auditionis & aliis comprehenſam. Sed defendimus, hoc nomen *exomologeſis* ad hanc pœnitentiæ actionem tranſlatum fuiſſe & tranſiviſſe, quia iſtiuſmodi oralis confeſſio ſemper reliquas pœnitentiæ partes antecedebat, cujus aſceſis integra permanſit, & a cujus obtemperatione & obedientia numquam mortalium peccatorum rei ſive occulti, ſive manifeſti, liberi & ſoluti fuerunt. Præterea contendimus ita ſe rem habuiſſe tempore Tertulliani, quia docet *ſatisfactionem confeſſione diſponi.* Igitur difficultatis caput eo devolvitur, ut inveſtigemus utrum in ſolitarii aurem Preſbyteri vel plurium confeſſio fieret, aut clam, aut palam coram frequenti ſenatu Eccleſiæ. Nam ex dictis antea abundanter intelleximus, omnis generis peccata mortalia fuiſſe legi confeſſionis ſubjecta.

Revera fateri neceſſe eſt, tempore Tertullianeo arcanorum peccatorum confeſſionem factam fuiſſe coram Preſbyteris Eccleſiæ. Aliud enim non ſignificant verba Tertulliani numero I. hujus capitis exſcripta, quibus comparat peccatores a confeſſione abhorrentes, cum ægris qui reconditas corporis partes ſaucias occulunt, & inſano timore probri, relicta medicorum ope pereunt. Hæc enim de confeſſione ejuſmodi intelligenda ſunt, cujus fuit in Eccleſia catholica diuturna permanſio, ut oſtendit R. P. Morinus libro II. Hiſtoriæ ſacramenti Pœnitentiæ, ad quem nihil reſpondit Dallæus, ſibi ſatis eſſe ratus, ſi diceret de hac exomologeſi publica Tertulliani, pagina 210. *fatendum eſſe omnes omnino, vel certe pæne omnes fideles hujus Scriptoris ævo, exomologeſim iſtam, quam nuper deſcripſimus, feciſſe, adeoque pœnitentiam publicam egiſſe: quod vehementer abſurdum eſt, & ab omni tum ratione, tum veri ſpecie alienum.* Sed hanc veritatem adeo perſpicuam demonſtravimus capite II. & III. hujus libri, ut nulla res infirmare poſſit.

V. Jam vero cum fateatur Dallæus, confeſſionem quandam feciſſe eos qui exomologeſi ſubjiciebantur, quoniam alioqui pœnas canonicas

canonicas Paſtores ſtatuere recte ac legitime non potuiſſent : conſequitur directe, confeſſionem peccatorum fuiſſe temporibus Tertullianeis pro omnibus omnino peccatis receptam : quippe cum numero III. hujuſce capitis ſupra demonſtraverimus, hac ætate exomologeſim ſeu pœnitentiam, non pro quibuſdam tantum peccatis, ſed pro omnibus & omnis generis mortalibus impoſitam fuiſſe. Cum vero Dallæus hujuſce argumenti vim ineluctabilem eſſe ſentiret, hunc tractatum de Pœnitentia Tertulliano abjudicare tentavit, ſuffultus opinionibus ac conjecturis Eraſmi, & Beati Rhenani, qui primi ex quadam, ſed ficta diſſimilitudine ſtyli excitati, hunc Tertulliani librum in ſuſpicione poſuerunt. Sed cum diverſæ partis Scriptores eruditi, Abrahamus Sculteτus, Andreas Rivetus, ipſe Dallæus, & catholicæ Pamelius, Baronius & Rigaltius, hoc opus Tertulliano vindicent, his amplius immorari vitilitigationibus non neceſſe eſt. Jam ergo Origenis ſententiam excutiamus.

VI. Cum Origenis opera Græce ſcripta pauca poſteritati relicta ſint, ac parum fidæ Rufini interpretationes ſuperſint, atque omnes docti ſibi perſuadeant Græco textui de ſuo liberaliter nimis adjeciſſe : nemini homini mi-

rum videbitur, ſi pauca ex Origene argumenta ſumamus ad comprobandam confeſſionem peccatorum. Verumtamen non adeo ſterile prædium eſt Origenis, nec tanta laborat inopia, quin negotium faceſſat Dallæo, ut ex capite 7. libri III. de Confeſſione auriculari perſpectum habemus.

Primus igitur locus Origenis aſſumitur ex Homilia II. in Leviticum, in qua poſita quæſtione, quam fieri poſſe a Chriſtianis quibuſdam putabat, de diverſo genere remiſſionis peccatorum procuratæ in veteri & in nova Lege, ait: *Sed fortaſſe dicant auditores Eccleſiæ: Melius fere agebatur cum antiquis, quam nobiſcum, ubi oblatis diverſo ritu ſacrificiis, peccantibus venia præſtabatur. Apud nos uno tantum modo venia eſt peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla poſt hæc peccanti miſericordia, nec venia ulla conceditur.* Et enumeratis variis modis, quibus peccatorum venia comparatur, ſcilicet baptiſmo, martyrio, eleemoſyna, caritate & aliis, tandem ad ſeptimum pervenit, & ſic loquitur: *Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare pecca-*

tum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait: Dixi, Pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Nec Dallæus, nec ex Proteſtantibus ullus, cui opinionum tenacitas ſenſum communem non abſtulit, inficiari poteſt, ex his verbis intelligi, ope pœnitentiæ ac declarationis peccatorum Sacerdotibus factæ, Origenis tempore procuratam fuiſſe veniam ſeu remiſſionem. Quamobrem revera Dallæus non negat, ita ſe rem habuiſſe: ſed ſolummodo contendit, inter hodiernam & veterem pœnitentiæ diſciplinam, magnam diſſimilitudinem extitiſſe. Quod quidem fateri neceſſe eſt, cum ſit fidei chriſtianæ privilegium, ut immobilis & continua ſit ejus in veritate permanſio; econtra verò mores Eccleſiæ infinitis viciſſitudinibus pro temporum & locorum diverſitate obnoxii ſint.

Ait igitur, incredibile videri, adſcriptam fuiſſe temporibus Origenis aſceſim confeſſionis in aurem Sacerdotis, niſi mente captum fuiſſe Origenem exiſtimemus. *Qua rationis aut veri ſpecie,* inquit Miniſter pagin. 224. *Eccleſiæ auditores talia objectantes inducuntur ab Origene? Melius fere agebatur cum antiquis, quam nobiſcum. . . . Apud nos* UNO *tantum modo venia eſt peccatorum, quæ per la-*

vacri gratiam in initiis datur. Nulla poſt hæc peccanti miſericordia, nec venia ulla conceditur. Profecto ſtupere eum aut inſanire neceſſe eſt, qui in hodierna Romanorum hominum diſciplina educatus talia quæſierit. Et continuo ſermone hanc concluſionem colligit : *Ergo neceſſario fatendum eſt, vel deliraſſe Origenem, qui Eccleſiæ auditores ac domeſticos iſta objectantes inducit, vel certe alios tum fuiſſe, quam nunc ſunt, Chriſtianorum hac in parte ritus ac mores.*

Tam futilem objectionem diluere facile eſt, ſi attendere velimus, quo loco res Eccleſiæ eſſent ætate, qua hanc potuit Origenes Homiliam ſcribere. Conſtat enim eo tempore vehementes rumores fuiſſe de hæreſi Montani, qui in ore & ſermone omnium percrebuerant ſub imperio Commodi, & pontificatu Soteris Papæ circa annum Chriſti CLXXXI. Et valde probabile eſt, hanc hæreſim ſortem reliquarum expertam eſſe, quæ inter catholicos viros non ſemper inveniunt adverſarios ſtudioſiſſimos, ac fidei tuendæ diligentiſſimos. Cum igitur ex capitibus hæreſis Montani unum eſſet, quo poteſtatem Eccleſiæ ad peccata remittenda pernegaret : non incogitabile eſt, ejuſmodi hæreſis rumorem ad Origenis aures perveniſſe, qui eo-

dem fere tempore natus erat, anno ſcilicet CLXXXV. quo exorta erat hæreſis; adeoque potuiſſe ori quorumdam fidelium ejuſmodi ſermonem inducere, quibus fortaſſe hæc hæreſis prima fronte non omnino diſplicuerat. Cum præſertim tamquam vulgatam & communem opinionem non adſcribat, ſed fortuitam, hoc caſu ac per ſortem accidentem: *Sed fortaſſe dicant auditores Eccleſiæ.* Nihil igitur in hoc ſermone ſupra vires humanas ac præter naturam eſſe videtur; adeoque non neceſſe eſt, deliraſſe Origenem, dum hanc quæſtionem ori fidelium quorumdam induxit; ſed de poteſtate mentis exceſſiſſe eum, qui ſermonem ejuſmodi fatuitatis accuſaverit.

His vero ita ſubjectis, non poterat modo confeſſioni auriculari magis propitio hanc quæſtionem ſolvere, quam inter varias remiſſionum peccatorum ſpecies recenſendo confeſſionem ſeu enumerationem delictorum in aurem Sacerdotis. Quid enim aliud hæc verba ſignificant? *Et non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundum eum qui ait: Dixi, Pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem cordis mei.*

VII. Verumtamen ex hac Origenis reſponſione concludit Dallæus, confeſſionem ei penitus ignotam fuiſſe. Enimvero ſi quis hodie adeo hebetis ingenii eſſet inter Chriſtianos, ut hanc quæſtionem poneret, utrum alia ſit venia peccatorum præter eam quæ per lavacri gratiam in initiis datur: non dubitat ejuſmodi hominem vehementer objurgatum iri, eo quod confeſſionis utilitatem non cognoſceret, ac brevi tempore de mirabili uſu tam ſingularis Sacramenti edoctum iri ab omnibus Sacerdotibus & fidelibus chriſtianis. Adeoque cum econtra Origenes alias ſpecies remittendorum peccatorum recenſeat, nec niſi loco ſeptimo referat confeſſionem, quærit Dallæus, quid neceſſe fuerit tot mæandris ad eam pervenire.

Sed immo quis ſenſus communis compos ſalebras ſolo adæquatas non videat ad ſtabiliendam confeſſionem? Ibi enim explicat Origenes ſacrificia quæ in veteri Lege pro peccatis Sacerdotum & populi offerri ſolebant, pro peccatis ignorantiæ, & aliis; & poſtea ait, *fortaſſe dicturos auditores Eccleſiæ, melius fere agi cum antiquis, quam cum Chriſtianis, ubi oblatis diverſo ritu ſacrificiis, peccantibus venia præſtabatur. Cum apud Chri-*

Digitized by Google

ſtianos uno tantum modo venia ſit peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiis datur; nulla poſt hæc peccanti miſericordia nec venia ulla concedatur.

Quis enim ad hæc reſpondeat econtra, per ſolitariam peccatorum confeſſionem peccata remitti? Cum ipſa fides chriſtiana nos abundanter doceat, ſæpe Sacerdote abſente, aut obſtantibus aliis difficultatibus, cum confeſſio fieri neutiquam poteſt, veniam procurari ope caritatis, eleemoſynarum & aliorum bonorum operum. Præterea (etiam confeſſio dum fieri poteſt) infinita ſunt peccata venialia, de quibus mentionem facit S. Auguſtinus Homilia XLIX. in Joannem, quæ oratione Domica & bonis vitæ chriſtianæ operibus, prætermiſſa confeſſione, remittuntur. At vero non ait eò loci Origenes, ſe ſolitariam ſpectare lethalium remiſſionem; quæ quidem aliquando juxta doctrinam * Concilii Tridentini per caritatem perfectam, priuſquam actu ſuſcipiatur ſacramentum, veniam comparant. Quid ergo ſibi vult Dallæus, & quas in hac Origenis reſponſione ambages repetit, quam omni homini non inſanienti inducere opus eſſet? Præterea quis putet ipſum non inſanire Dallæum, dum eam aſſumit

* *Concil. Trident. Seſſ.* 14.

Digitized by Google

ad concludendum, ignotam fuiſſe Origeni confeſſionem auricularem, & ait: *Vno verbo res confici poterat allato confeſſionis arcanæ ſive pœnitentiæ ſacramento: quod cum Origenes tali loco non fecerit, merito concludendum eſt, ignotum ei fuiſſe totum hoc myſterium.* Bene ac ſapienter quidem hæc a Dallæo repoſita ſint: ſi Origenes explicatis variis veniæ obtinendæ modis confeſſionem prætermiſerit, & ſi exaggeratis caritate, eleemoſynis, & aliis bonis operibus, de confeſſione nullam mentionem fecerit. Sed cum conceptis verbis eam recenſeat, atque ultimo loco tamquam præcipuam & aliarum perfectioni conducibilem & neceſſariam collocet, *& cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum:* quis ad rectæ rationis normam compoſita mente cum Dallæo concludat, *ignotum fuiſſe Origeni totum hoc confeſſionis myſterium?*

VIII. At inquit Dallæus pag: 225. *Quod præter baptiſmum ac confeſſionem Sacerdoti factam, quinque alias rationes commemorat, quibus a Domino peccatorum remiſſio obtinetur. Non ergo iſte putavit, ſine vocali confeſſione apud Sacerdotem, vel in re, vel ſaltem in voto edita, nullius peccati remiſſionem haberi poſſe.*

Si atteſtaretur Origenes, ſe ſolitariam eo

loci peccatorum mortalium remiſsionem reſpicere, neutiquam vero venialium ſpectare; non omnino rationis expers videretur objectio Miniſtri: quippe cum ſubjectione clavibus Eccleſiæ poſtpoſita numquam mortalia remittantur. Sed cum indiſcriminatim de mortalibus & venialibus loquatur, nullus objectioni locus relictus eſt. Inſuper quinque modi remiſſionis procurandæ ab Origene prolati cum voto aut ipſamet ſuſceptione Sacramenti Baptiſmatis æque ac Confeſſionis valde ſociabiles ſunt. Eleemoſynæ enim ac reliqua bona opera ſine voto aut ipſa ſuſceptione Baptiſmi nihil attinent: & ex multis locis S. Auguſtini colligere non ſupervacaneum eſt, hæc omnia cum voto Baptiſmi, prætermiſſa ex quadam neceſſitate ipſa ſuſceptione, ſaluti comparandæ non eſſe conducibilia. Interim tamen quis Origenem aut Auguſtinum Baptiſmi ſuſcipiendi impoſitam admiſiſſe omnibus hominibus neceſſitatem perneget? Sed cum Calviniſtæ ab inſtitutis Patrum alieniores, indiſcriminatim omnia peccata eſſe lethalia ſibi perſuadeant, ut ipſe Dallæus fatetur libro 1. de Confeſſione cap. 4. pag. 16. *Si quod ſit tamen admiſſum in Deum peccatum, quod natura ſua veniale cenſendum ſit, quod nos quidem*

non admittimus ; nec exiſtiment Baptiſma eſſe perfecte & abſolute neceſſarium ad obtinendam peccatorum veniam : hac fortaſſe via difficultatem objectam dilui poſſe non reputabunt. Igitur dico, ex Origenis Homilia II. in Pſalmum XXXVII. manifeſte intelligi, ipſum abſolute neceſſariam exiſtimaſſe confeſſionem peccatorum ad obtinendam remiſſionem; adeoque hos quinque modos, de quibus jam diximus, ab eo proferri ad remiſſionem peccati conducibiles tanquam individua connexione cum voto confeſſionis faciendæ Sacerdotibus conjunctos. Hæc ſunt verba Origenis hæc Scripturæ explicantis : *Quoniam iniquitatem meam pronuncio. Pronunciationem iniquitatis, id eſt, confeſſionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina : quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſis enim ſicut ii qui intus habent incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis, ſtomacho graviter & moleſte imminentia ſi vomuerint, relevantur; ita etiam hi qui peccaverunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimulque evomit & delictum, atqu-*

omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas cauſ languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente; qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris: ſi intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari: multa hoc deliberatione & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.

Sed antequam ad res a Dallæo objectas reſpondeamus; hic locus Origenis multa eſt cogitatione reputandus.

1. Videtur Origenes non dubitaſſe, quin confeſſio peccatorum jure divino inſtituta ſit, quippe quam Scripturæ ſacræ autoritate confirmat: *Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinſecus;* nec ſimiliter, quin perfecte & abſolute ad procurandam peccatorum lethalium veniam & ſalutem comparandam neceſſaria ſit, ex comparatione quam profert peccatorum cum indigeſtis cibis & crudis

alimentis, quæ niſi per nauſeam egerantur, ſanitati corporis nocent, vitamque humanam in diſcrimen mortis adducunt.

2. Obſervat docetque quam neceſſe ſit perito Sacerdoti ſua peccata confiteri, ex comparatione cum perito medico.

3. Patet eo loci, tempore Origenis conſilio Sacerdotis arcana conſcientiæ ſibi apertæ diſcutientis, aliquando coram congregatis Sacerdotibus Eccleſiæ peccatores ſua peccata prodidiſſe: quod jam capite 11. ſupra obſervavimus. *Si intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat.*

4. Conſtat denique, Origenem ſibi perſuaſiſſe, ejuſmodi confeſſionem comitialem, ſeu coram conventu totius Eccleſiæ factam, optimum fuiſſe animæ remedium, & peccatorum ſaluberrimam antidotum, ex continuo ſermone poſt hæc verba, *exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari.*

His vero ita ſubjectis, jam videamus qua arte aut induſtria hiſce Origenianis vinculis ſe extricet Dallæus. *Sed multipliciter*, inquit, *fallitur Bellarminus.* 1. *Quod putat pœnitentes olim ſua peccata publice prodidiſſe ac confeſſos eſſe; quod procul a vero eſt.* Probare

debebat Dallæus, ſi potuiſſet, hæc verba fuiſ-
ſe Origenis textui aliena manu aggregata.
Nam cum conceptis verbis explicet hanc
confeſſionem publicam conſilio Sacerdotis
fieri conſuetam, hanc negare opinioſi homi-
nis ac mente capti vitium eſt.

Sed alterum captat effugium pagina 230.
ſibi non magis propitium. *Quod vero ait hic
Autor*, (ſcilicet Origenes) *languorem in con-
ventu totius Eccleſiæ exponi & curari, eo non
diſerta & expreſſa ſingulorum nominatim pec-
catorum expoſitio, qualis hodie apud adverſa-
riorum Sacerdotes fieri ſolet, ſignificatur; ſed,
quod optime eſt a Petavio Ieſuita obſervatum, ea
profeſſio, quæ factis ipſis ac pœnitentium officiis
editur, generaliſque ſcelerum agnitio, & impro-
bitatis ſuæ profeſſio ac deteſtatio.*

Sed prorſus contrarium demonſtrat com-
paratio quam prodidit Origenes inter Sacer-
dotem & medicum. Nam quemadmodum
bonam valetudinem non recuperaret æger,
ſi morbum ſuum generatim tantum medi-
co exponeret, celatis morbi ſymptomatibus;
ita peccator ſibi veniam & remiſſionem neu-
tiquam procurabit, ſi generatim tantum ſe
peccatorem fateatur, ſigillatim vero pecca-
ta Sacerdotes Dei celet, eorumque circun-
ſtantias graviores non explicet. Idem etiam

demonſtrat peccatorum comparatio cum crudis & indigeſtis cibis, quibus ſtomachum non generatim tantum, ſed generaliter & ſigillatim exonerare neceſſe eſt. Revera Petavius doctiſſimus Jeſuitarum, verba quæ habentur initio hujus Homiliæ Origenis explicans, defendit hanc confeſſionem comitialem intelligendam eſſe de peccatis publicis, neutiquam de arcanis & reconditis: adeoque hanc explicationem tuendam recipit, quia confeſſio & exomologeſis peccati, non ſemper apud veteres Scriptores ſpecialem peccatorum ſigillatim enumerationem ac denunciationem ſignificat, ſed aliquando generalem ſcelerum agnitionem & improbitatis profeſſionem. *Neque enim*, ait in Obſervationibus ad Epiphanium, hæreſi LIX. Novatianorum pag. 249. *perpetuo legitima aliqua peccatorum declaratio ac ſingulorum expoſitio iſtiuſmodi vocabulorum formulis intelligitur; ſed ea plerumque profeſſio, quæ factis ipſis ac pœnitentium officiis editur, aut ſi ore fortaſſis ac verbis, non ea ſingulorum criminum condicto loco ac tempore confeſſio fuit, ut vel ex ſcripto vel ex memoria pronunciarentur, ſed generalis ſcelerum agnitio & improbitatis ſuæ profeſſio ac deteſtatio: cujuſmodi eſſe videtur generalis illa Confeſſionis formula, quam accuratæ ac pri-*

vatæ peccatorum explicationi, aut incruento Miſſæ ſacrificio celebrando promittimus. Quod quidem fatendum eſt: licet revera apud veteres Scriptores interdum vocabulum *exomologeſis* non illam generalem, ſed ſpecialem ſingulorum peccatorum confeſſionem & expoſitionem ſignificet, ut ipſemet Petavius continuo ſermone conſulto a Dallæo prætermiſſo nos docet. *Neque tamen inficior, quin exomologeſis interdum veram & Sacramenti propriam, adeoque privatam peccatorum expoſitionem ſignificet; ſed caute ac prudenter in hujus vocis interpretatione verſandum eſt, ut ex ipſo narrationis contextu, quo ſenſu a Patribus uſurpata ſit, dijudicare poſſimus.*

Sed econtra ipſemet Petavius hæc ultima verba ejuſdem Homiliæ explicans, quæ ab his incipiunt, *Tantummodo circumſpice diligentius, &c.* & his concluduntur, *conſilio procurandum eſt;* eum ſenſum habere ſignificat, quem his verbis adſcripſimus, ac de confeſſione peccatorum arcanorum ſigillatim facta intelligenda eſſe docet. *Item*, ait, *ejuſmodi peccata illa ſunt, quæ confiteri jubet,* (ſcilicet Origenes) *ut non temere in publico conventu debeant exponi, ſed cum accurata deliberatione, & Sacerdotis conſilio, quod poſterior locus admonet.*

2. *In eo etiam fallitur Bellarminus*, (inquit Dallæus ad hunc locum Origenis) *quod omnia peccata privatim confiteri neceſſarium fuiſſe ex hoc loco colligit. Id enim neque Scriptor hic dicit, neque ſane verum eſt. Nulla quippe apud veteres alia peccata miniſtris privatim confiteri fideles ex legibus Eccleſiæ tenebantur, niſi quibus publica ex Canonibus conſtituta erat pœnitentia, ut poſtea fuſe ſuo loco demonſtrabitur.*

Non dubito, tempore Origenis impoſitam fuiſſe neceſſitatem confitendi Sacerdotibus peccata, quæ publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur : quoniam ætate Origenis & diu poſt elapſam, uſu receptum fuit ab Eccleſia pœnitentiam publicam pro peccatis arcanis & ſecretis peragere, ut capite II. & III. ſupra demonſtravimus.

3. Perſequitur Dallæus : *Eo etiam Bellarminus peccat, quod illum apud quem peccata ſua fidelem privatim confiteri vult hic Scriptor,* (ſcilicet Origenes) *Sacerdotem eſſe ait. Atqui in toto hoc loco ne ſemel quidem Sacerdotis meminit.* Revera fateri opus eſt, eo loci Sacerdotem nominatim non deſignari : ſed cum ſubjiciat Origenes ſupra laudata Homilia II. in Leviticum, hanc confeſſionem fieri Sacerdoti : *Et non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum*

peccatum ſuum; ſine vitilitigatione nemo defendet, eam alteri quam Sacerdoti fieri potuiſſe.

IX. Quartus locus Origenis confeſſioni propitius aſſumitur ex Homilia III. in Leviticum, in qua ſic fatur: *Si peccaverit*, inquit, *unum aliquod de iſtis, pronunciet peccatum quod peccavit. Eſt aliquod in hoc mirabile ſecretum, quod jubet pronunciare peccatum. Etenim omni genere pronuncianda ſunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, ſi quod in occulto egerimus, ſi quod in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri; proferri autem ab illo, qui & accuſator peccati eſt & incentor. Ipſe enim nunc nos ut peccemus, inſtigat; ipſe etiam cum peccaverimus, accuſat. Si ergo in hac vita præveniamus eum, & ipſi noſtri accuſatores ſimus, nequitiam diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugimus. Sic enim & alibi Propheta dicit: Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut juſtificeris. Nonne evidenter myſterium, de quo tractamus, oſtendit, cum dicit, Dic tu prior? Vt oſtendat tibi quia tu prævenire illum debeas, qui paratus eſt ad accuſandum. Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille præveniat: quia ſi prior dixeris, & ſacrificium pœnitentiæ obtuleris, ſecundum ea quæ in ſuperioribus di-*

ximus offerenda, & tradideris carnem tuam in interitum, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini, dicetur & tibi, Quia percepiſti & tu in vita tua mala, nunc vero requieſce. Recte ſane omnia, (reſpondet Dallæus Cardinali Bellarmino pag. 229.) *ſi unum illud demus*, Sacerdoti, *de quo nihil Origenes.*

Nihil revera Origenes in ea Homilia, ſed in ea quæ anteceſſit, quam ſupra laudavimus, in qua diſerte ſubjicit hanc confeſſionem ſuetam fieri Sacerdotibus: *Et cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Ibidem defendit Miniſter, Origenem eo loci ſpectare peccata cenſura eccleſiaſtica digna, quæ fletibus exomologeſis expiari debebant. *In genere*, ait Dallæus, (Origenes) *de re tota loquitur, adeoque & ſi qua ſint eccleſiaſtica cenſura digna, ea publice, ut tum moris erat, defleri, ſolemnique exomologeſi apud Dei plebem procurari vult.*

Sed eſto. Quid enim obſtat, ſi tempore Origenis peccata recondita pœnitentiæ publicæ, ita ut manifeſta, erant obnoxia? licet hæ voces, *eccleſiaſtica cenſura digna*, difficiliorem inventum habeant apud Origenem, quam vox *Sacerdotis. Cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum.* Homilia 11. in Levitic. Quamobrem divinare

non poſſum, quo ex prædio rationis aſſumpſerit Dallæus quæ dicit pagin. 229. *Fateor. Cætera quæ plurima ſunt peccata, a nobis apud Deum Chriſtumque Dominum, verum ac unicum noſtrum Sacerdotem, proferri, agnoſci, damnari debere intelligit: apud homines miniſtros, neque dicit, neque ſane exiſtimavit.* Enimvero ſi mens Origenis fuit, ſoli Deo Chriſto Domino & unico Sacerdoti ope confeſſionis exponenda eſſe peccata noſtra: cur ait Homilia XVII. in S. Lucam, explicans verba Pſalmi XXXII. *Dixi, Annunciabo injuſtitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed & his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris atque peccatis, delebuntur peccata noſtra ab eo qui ait: Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, & ſicut caliginem peccata tua.* Ex his enim luce meridiana clarius intelligimus, non ſoli Deo revelanda eſſe peccata recondita, (nam manifeſta abundanter cognita ſunt) ſed iis qui remedium adferre poſſunt: *Non ſoli Deo, ſed & his qui poſſunt mederi vulneribus noſtris.* At vero quis dubitet, in eorum hominum poteſtate poſita eſſe remedia vulnerum noſtrorum, qui ligandi atque ſolvendi poteſtatem a Chriſto Domino acceperunt? qua præditos fuiſſe S. Petrum & Ec-

cleſiæ catholicæ Epiſcopos docet Origenes conceptis verbis Commentario in Evangelium S. Matthæi (cujus autographum Græcum publici juris fecit clariſſimus Petrus Daniel Huetius Rothomagi anno MDCLXVIII. ex codice MS. ſereniſſimæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ, quem acceptum refert doctiſſ. Iſacio Voſſio diverſæ partis Scriptori) pagina 279. *Vide autem quanta vi polleat petra, ſuper quam a Chriſto ædificatur Eccleſia, & quicumque dicit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi; ut illius judicia firma maneant, quaſi Deo in illo judicante, ut in ipſo jure dicendo portæ inferi adverſus eum non prævaleant. Adverſus eum igitur qui injuſte judicat, & non juxta verbum Dei ligat ſuper terram, neque ex illius ſententia ſolvit ſuper terram, portæ inferi prævalent: adverſus quem autem portæ inferi non prævalent, is juſte judicat. Idcirco claves habet regni cælorum, aperiens iis qui ſoluti ſunt ſuper terram, ut & in cælis ſoluti ſint ac liberi: & claudens iis qui juſto illius judicio ligati ſunt ſuper terram, ut & in cælis ligati ac condemnati ſint. Quoniam autem qui Epiſcopatus locum vendicant, dictum hoc uſurpant, ſicut Petrus, & acceptis a Servatore clavibus regni cælorum, docent ea quæ a ſe ligata ſunt, hoc eſt, condemnata, ligata eſſe & in cælis, &*

quæ a ſe ſoluta ſunt, ſoluta eſſe & in cælis; pronunciandum eſt recte illos dicere, ſi factum etiam habuerint propter quod Petro huic dictum eſt, Tu es Petrus; ac ſi tales ſunt, ut ſuper illos ædificetur Eccleſia a Chriſto, & ad illos jure id referri poſſit. ὅρα δὲ ὅτι ἔχει ἐξουσίαν ἡ πέτρα, ἐφ' ἣν ὑπὸ Χριστοῦ οἰκοδομεῖται ἡ ἐκκλησία, καὶ πᾶς ὁ λέγων· σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὥστε τὰς κρίσεις μένειν βεβαίας τούτου, ὡς κρίνοντος ἐν αὐτῷ τοῦ Θεοῦ, ἵνα ἐν αὐτῷ τῷ κρίνειν μὴ κατισχύσωσιν αὐτοῦ πύλαι ᾅδου. τοῦ μὲν οὖν ἀδίκως κρίνοντος, καὶ μὴ κατὰ λόγον Θεοῦ δεσμεύοντος ἐπὶ γῆς, μηδὲ κατὰ βούλησιν αὐτοῦ λύοντος ἐπὶ γῆς, πύλαι ᾅδου κατισχύουσιν. οὗ δὲ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύουσιν, οὗτος δικαίως κρίνει. διὸ ἔχει τὰς κλεῖδας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἀνοίγων τοῖς λελυμένοις ἐπὶ γῆς, ἵνα καὶ ἐν οὐρανοῖς ὦσι λελυμένοι, καὶ ἐλεύθεροι· καὶ κλείων τοῖς κρίσει δικαίᾳ αὐτοῦ δεδεμένοις ἐπὶ γῆς, ἵνα καὶ ἐν οὐρανοῖς ὦσι δεδεμένοι, καὶ κεκριμένοι. ἐπεὶ δὲ οἱ τὸν τόπον τῆς ἐπισκοπῆς ἐκδικοῦντες χρῶνται τῷ ῥητῷ, ὡς Πέτρος, καὶ τὰς κλεῖδας τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας ἀπὸ τοῦ σωτῆρος εἰληφότες διδάσκουσί τε τὰ ὑπ' αὐτῶν δεδεμένα, τουτέστι καταδεδικασμένα, καὶ ἐν οὐρανοῖς δεδέσθαι, καὶ τὰ ὑπ' αὐτῶν ἄφεσιν εἰληφότα, καὶ ἐν οὐρανοῖς λελύσθαι, λεκτέον ὅτι ὑγιῶς λέγουσιν, εἰ ἔχουσιν ἔργον δι' ὃ εἴρηται ἐκείνῳ τῷ Πέτρῳ· σὺ εἶ Πέτρος, καὶ εἰ τηλικοῦτοί εἰσιν, ὡς ἐπ' αὐτοῖς ὑπὸ Χριστοῦ

Digitized by Google

οἰκοδομεῖσθαι τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἐπ' αὐτοὺς εὐλόγως τοῦτο ἀναφέροιτ' ἄν.

Jam ergo nihil Dallæo ſupereſt, niſi ut haſce Homilias Origenis in Leviticum & in Pſalmos in ſuſpicione ponat. Sed ejuſmodi conſilium tam infeliciter procedit, ut ei diu immorari ſupervacaneum ſit. Revera objectat, has quidem Homilias a Cardinale Bellarmino elevari, nec magni ponderis exiſtimari libro IV. de Verbo Dei, cap. II. quod de pleriſque Homiliis Origenis verum eſt; ſed ſpeciatim eas quas protulimus, non ſpectat, in quibus errores quibus in ſuſpicionem adducuntur, non occurrunt. Inſuper citat adverſus Homilias in Pſalmos ſuffragium Eraſmi, quas non ſine quadam ſuſpicione falſi Origeni adſcribit. Sed cum ad eam quam adduximus, nominatim non reſpiciat, eam abjudicare Origeni nihil cogit. Utcumque res ſit, cum in omnibus antiquis codicibus manuſcriptis & impreſſis, a me citatæ Homiliæ reperiantur, Autori antiquo vindicari debent; adeoque manifeſte conſequitur, primis Eccleſiæ temporibus confeſſionem peccatorum, etiam reconditorum, Sacerdotibus factam ad obtinendam remiſsionem, uſu & conſuetudine receptam fuiſſe.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Explicatur ſententia S. Cypriani Martyris, Carthaginenſis Epiſcopi, de confeſſione ſeu exomologeſi peccatorum.

ANTEQUAM explicationem locorum Sancti Cypriani ingrediar, qui in rem confeſſionis auricularis a Scriptoribus eccleſiaſticis proferri ſolent; quædam antea prioribus capitibus a nobis comprobata hic ſubjicienda ſunt. 1. Olim aliquatenus publicam videri factam peccatorum occultorum, utpote graviorum confeſſionem. 2. Ex voce *exomologeſis* ſæpe apud veteres Scriptores intellectam eſſe plenam atque integram actionem pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionem: ut recte obſervaverunt, abnuente quidem Bellarmino, doctiſſimi inter catholicos viros Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, P. Dionyſius Petavius Jeſuita, P. Joannes Morinus Oratorii Domini JESU Preſbyter, & plures alii. 3. Denique etiam aliquando hanc vocem *exomologeſis* ſignificaſſe ipſam peccatorum ſigillatim enunciationem, ſeu clam aut palam factam peccatorum confeſſionem.

Digitized by Google

I. His ita ſubjectis contendo, S. Cyprianum libro de Lapſis pag. 203. editionis Rigaltii anni MDCXLVIII. hanc ſimplicem peccatorum confeſſionem ſpectaſſe, dum ait: *Denique quanto & fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti? quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt; ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non deridetur.*

1. Quis non ſimplicem peccatorum declarationem ex his verbis perſpiciat: *Apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt*; ſed potius graduum pœnitentiæ curriculum? 2. Conſtat hanc confeſſionem remedium ſaluberrimum fuiſſe pro gravioribus æque ac tenuioribus peccatis: *Salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* 3. Peccata cogitationum iſtiuſmodi confeſſioni fuiſſe obnoxia: *Quanto & fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti? quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, &c.* 4. Denique ex continuo ſermo-

ne S. Cypriani intelligimus, ipſum exiſtimaſſe, hanc confeſſionem peccatorum conducibilem eſſe peccatoribus, eo quod condonata a Sacerdotibus peccatorum remiſſio Deo grata & accepta erat, ſive quia vi clavium & autoritate miniſtrorum Chriſti procurabatur. *Confiteantur*, inquit, *ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

Verumtamen hæc omnia cohibere non potuerunt temeritatem Dallæi, ne tamquam bonum virum, hoc eſt inſulſum hominem, Cardinalem Bellarminum verbis parum honorificis exciperet, eo quod ex hoc loco S. Cypriani argumentum aſſumpſerit ad comprobandam confeſſionem auricularem. Quærit enim quam ſimilitudinem habeat antiqua exomologeſis cum hodierna peccatorum confeſſione, cujus tam trita & communis eſt in Eccleſia Romana aſceſis: quam ſi probaverit Bellarminus, promittit a ſe judicatum iri, non hominem, ſed heroem. *Hoc quidem ſi effecerit,* ait lib. III. de Confeſſione cap. 6. pag. 218. *illum ego non virum, ſed heroem judicabo.* Jam quas habeat tantæ admiratio-

nis cauſas, excutere juvat. *Primo*, inquit, *non de cujuſvis peccati, ſed de ſolius idololatriæ cogitatione hic agitur. Ergo etiamſi concederem ex illius temporis diſciplina ad exomologeſim neceſſario coactos fuiſſe, qui de idololatria admittenda cogitaverant; non ideo tamen conſequens eſſet, ut quicumque de quovis alio crimine, etiam minimo, cogitaſſent, eos pariter ad exomologeſim compulſos fuiſſe.*

Revera fatemur, occaſione data a peccato idololatriæ ita locutum eſſe S. Cyprianum. Sed ut perfecte ac plene perſpectum habeamus, utrum omnis generis peccata mortalia, etiam cogitationum, exomologeſi ſubjecerit, ſeu ſubjicienda reputaverit; non inhærendum eſt cauſæ ſeu occaſioni quam habuit dicendi: conſequeretur enim, præter crimen idololatriæ, de quo ſolo mentionem hic facit, nullum fuiſſe tempore S. Cypriani exomologeſis ſeveritati obnoxium; quod abſurdum & intolerabile eſt: quippe cum conſtet ea ætate ſcelera homicidii & mœchiæ æquabiliter cum idololatria pœnitentiæ legibus fuiſſe cohibita. Sed ad rectæ rationis normam magis directum ac compoſitum videbitur, ſi argumenta & probationes excutiamus, quibus ſanctiſſimus Martyr lege confeſſionis teneri idolorum cultores demon-

ſtrat. Enimvero ſi ejuſmodi argumenta in alia omnis generis peccata lethalia transferre facile ſit, dubitandi locus non relinquetur, omnem peccati mortalis ſpeciem ætate S. Cypriani obtemperatione legi exomologeſis ſeu confeſſionis expiabilem fuiſſe. At vero S. Cyprianus continuo ſermone de Lapſis pagina ſubſequenti, ut fideles ad agendam exomologeſim adhortetur, exemplum prodidit Prophetæ Danielis, quod non ſolum idololatriæ crimen, ſed omnem peccati ſpeciem generatim ſpectat. * *Daniel quoque*, ait S. Cyprianus, *poſt fidei atque innocentiæ ſuæ multiplicem gratiam, poſt dignationem Domini circa virtutes ac laudes ſuas ſæpe repetitam, jejuniis adhuc promereri Deum nititur, in ſacco & cinere volutatur, exomologeſim faciens dolenter & dicens: Domine Deus magnus & fortis & metuendus, qui ſervas teſtamentum tuum & miſerationes eis qui te diligunt, & conſervant imperia tua*, PECCAVIMUS, FACINUS ADMISIMUS, IMPII FUIMUS, TRANSGRESSI SUMUS AC DESERUIMUS PRÆCEPTA TUA ET JUDICIA TUA, NON AUDIVIMUS VERBA PUERORUM TUORUM PROPHETARUM, QUÆ LOCUTI SUNT IN NOMINE TUO SUPER REGES NOSTROS

* *Daniel. cap.* IX.

Digitized by Google

ET OMNES GENTES, ET SUPER OMNEM TERRAM.

Sed continenti ſermone ait Dallæus eodem loci : *Nego verum eſſe, quod hinc conficere conatur Bellarminus, ſcilicet quicumque de ſacrificiis & libellis vel cogitaſſent, eos olim Cypriani temporibus ex veteris Eccleſiæ diſciplina ad exomologeſim faciendam compulſos & coactos fuiſſe.*

Reſponſio facilis eſt, ſi nulli ad exomologeſim faciendam cogebantur legibus eccleſiaſticis, ex iis *qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, de hoc tamen vel cogitaverant*, incogitabile eſſe, S. Cyprianum exiſtimaſſe, exomologeſis ſeu confeſſionis ope remiſſionem peccatorum ejuſmodi procurari. At vero ſi iſtiuſmodi cogitatio in mentem S. Cypriani non incurrit : cur tanta adhortatione compellit eos qui de hoc cogitaverant, ut exomologeſim conſcientiæ faciant ? Cur ait non deſidia ac ſocordia conterendum eſſe vitæ tempus, dum admitti confeſſio peccatoris poteſt, & ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt ? Sed examinanda eſt ratio, ex qua Dallæus concludit, hanc diſciplinam confitendi peccata Sacerdoti ætate S. Cypriani non fuiſſe uſu receptam. Hoc adeo abſurdum

Digitized by Google

eſſe inquit Dallæus, ut incredibile videatur, Bellarminum in hanc ſententiam iviſſe, ſi exomologeſim intellexiſſet. *Exomologeſis enim eſt, non quod ipſe magno errore exiſtimat, ſimplex in aurem unius Sacerdotis delicti confeſſio, ſed publicæ pœnitentiæ pars; ad quam coactos fuiſſe etiam qui ſola cogitatione peccaſſent, plane eſt incredibile.*

Equidem non inficior, aliquando exomologeſim apud veteres Scriptores integram actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem, & nonnunquam gemitus peccatorum ſignificaſſe, non abnuente ipſo Dallæo pag. 219. Sed contendo hæc non impedire, quominus frequenter & primulum ſimplicem peccatorum confeſſionem Sacerdotibus factam ſignificaverit. Supervacaneum eſt ad argumenta confugere, quæ res fieri non poſſe, aut incredibiles eſſe comprobant, cum iſtæ res revera exiſtunt. Quamobrem cum ex conceptis verbis Sancti Cypriani ſupra laudatis intelligamus, confeſſionem factam fuiſſe Sacerdotibus, atque neceſſariam ad procurandam ſalutem habitam, hanc abſurdam & incredibilem probare, inſulſum & incogitabile eſt. Cum erroris arguit Bellarminum Dallæus, quod ex exomologeſi ſimplicem peccatorum confeſſionem intellexerit, in

Digitized by Google

contrarium cucurrit non minus inſulſum: ratus eo loci, S. Cyprianum per exomologeſim pœnitentiam publicam ſeu ſatisfactionem & actionem pœnitentiæ ſignificaſſe. Nec miſcenda aut confundenda eſt pœnitentia publica omnibus gradibus ac ſtationibus completa, cum confeſſione publica Sacerdotibus fieri ſolita. Lege confeſſionis Sacerdotibus faciendæ omnes peccatores tenebantur: ſed non omnibus ſtatutum erat omnes gradus & ſtationes publicæ pœnitentiæ ſigillatim percurrere. Cum autem prævideriit Dallæus, faciliter ex his Cypriani verbis aſſumi probationem confeſſionis auricularis, obfirmato pectore propugnat, actionem pœnitentiæ per exomologeſim ſignificaſſe. Et quoniam ſi antiqua tempora cum recentioribus conferantur, durum & acerbum videtur recognoſcere pœnitentiam publicam impoſitam fuiſſe peccatoribus occultis & reconditis, rem pene jam explicatam duobus effugiis implicavit. 1. Præconceptis opinionibus occupatus defendit contumaciter, S. Cyprianum his verbis, *exomologeſim conſcientiæ faciunt*, non intellexiſſe ſimplicem peccatorum confeſſionem ſive clanculum, ſive palam Sacerdotibus factam, ſed plenam ſatiſfactionem ſeu pœnitentiam ſuis flentium,

Digitized by Google

audientium, proſtratorum & conſiſtentium ritibus hiſpidam. 2. Defendit, eumdem Cyprianum eo loci non loqui de peccatis cogitationum, ſed de peccatis revera commiſſis a libellaticis ſeu idololatris. Sed primo effugio evadere non poteſt, quandoquidem luce meridiana clarius patet, exomologeſim revera ſæpe integram actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem ſignificaſſe, ſed non ſemper; immo vero ſæpe etiam ſimplicem peccatorum enarrationem deſignaſſe. Sed quoniam Dallæus intellexit, tempore S. Cypriani hanc confeſſionem ſeu declarationem peccatorum coram ſenatu Sacerdotum fieri: exomologeſim publicam cum publica ſatiſfactione miſcuit, adeoque publicam confeſſionem & pœnitentiam publicam ſimplici voce *exomologeſis* indiſcriminatim ſignificari ſibi perſuaſit. Quod quidem Eccleſiæ Catholicæ ſeu Romanæ legibus & conſuetudinibus de confeſſione auriculari nihil officeret, ſi pœnitentiam nunquam ſine prævia confeſſione peractam fuiſſe rotunde fateretur: hoc eſt, ſemper neceſſariam fuiſſe confeſſionem peccatorum ſive clam, ſive publice, hoc eſt coram Preſbyteris, recognoſceret. Subſtantia igitur dogmatis Eccleſiæ Romanæ in neceſſitate confeſſionis peccatorum

lethalium Sacerdotibus faciendæ conſiſtit; palam autem, & modo clam mutatis vicibus factam fuiſſe, non diffitetur, immo ex antiquis Scriptoribus intelligit. Sola fides immobilis, nullique viciſſitudini temporum ac locorum obnoxia ſtat; ſed alia ſæcula alios mores poſtulant.

Alterum effugium Dallæo non magis propitium eſt. Falſum eſt enim, S. Cyprianum eos peccatores eo loci ſpectare, qui non ſola cogitatione deliquerant, ſed revera libelli ab ethnicis accepti crimine inquinabantur. Nam conceptis verbis mendacium exprobrat S.Cyprianus ſupra citatis: *Denique quanto & fide majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti? quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt.* Rotunde fatetur Dallæus, S. Cyprianum eo loci non ſpectare idololatriæ crimine revera & actu pollutos homines, propter hæc verba, *nullo ſacrificii facinore conſtricti.* Ergo & propter hæc, *nullo libelli facinore conſtricti*, etiam libelli facinore inquinatos non reſpexiſſe rotundius fateatur neceſſe eſt. Quæ cum ita ſint, ſuperſunt pœnitentes qui nec verbo, nec opere, ſed lethali,

Digitized by Google

lethali, hoc eſt, cum voluntatis conſenſione, cogitatione ſacrificandi idolis peccaverant; adeoque poſita quæſtio dirimitur aperte, conſtatque, tempore S. Cypriani peccata occultiora lethalia confeſſionis legibus obnoxia fuiſſe, & impudenter ac ſcurriliter Miniſtrum contendiſſe, ſanctiſſimum Martyrem de confeſſione auriculari libro de Lapſis, non magis quam de triplici Papæ tiara agere.

CAPUT VII.

Argumentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis aſſumptum, Lactantius Firmianus, & Concilium Laodicenſe explicantur.

I. QUAMVIS Euſebius fœtore hæreſis Arianæ inquinatus apud multos audiat: cum hæc hæreſis confeſſionem auricularem non ſpectet, atque ab eo crimine Euſebium vindicare plerique Theologi non pertimeſcant; teſtimonia ejus rebus confeſſionis auricularis conducibilia prætermittere nefas eſt. Itaque ſic fatur lib. VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite 34. editionis Henrici Valeſii, de Philippo, quem plerique veteres

Scriptores Eccleſiaſtici primum Imperatorem chriſtianum exiſtimant. *Interea cum Gordianus ſex totis annis Romanum Imperium adminiſtraſſet, Philippus una cum Philippo filio in ejus locum ſucceſſit. Hunc utpote chriſtianum, fama eſt in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in Eccleſia participem ſimul tum reliquo populo fieri voluiſſe: ſed Epiſcopum qui huic Eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe,* QUAM CONFESSIONEM FECISSET, IIS QUI HUMANITUS LAPSI FUERANT, ET IN POENITENTIUM ORDINE STABANT, SESE ADJUNXISSET. *Quippe ob multa quæ commiſerat crimina, numquam omnino ab Epiſcopo fuiſſet admiſſus, niſi id prius feciſſet. Et Imperator quidem libenter obtemperaſſe dicitur, ſincerumque ac religioſum affectum timoris Dei operibus ipſis declaraſſe.* ἢ ἐξομολογήσασθαι, καὶ τοῖς ἐν παραπτώμασιν ἐξεταζομένοις, μετανοίας τε χώραν ἴσχουσιν ἑαυτὸν καταλέξαι. Nemini homini videbitur hic exomologeſis, ἐξομολογήσασθαι, pro integra actione pœnitentiæ ſeu ſatisfactione accipi, a qua conſequentia verba perfecte eam diſparant: *Iiſque qui humanitus lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſeſe adjunxiſſet.* Igitur concludendum eſt, ante Concilium Nicænum celebratum anno Chriſti CCCXXV. inſtitu-

tam fuiſſe in Eccleſia catholica & uſu receptam confeſſionem peccatorum omnium. Nam confeſſionem Philippi non ad quædam tantum atrociora ſcelera contrahit Euſebius, ſed indiſcriminatim ad ea crimina multa, quæ commiſerat Imperator. Nec dici poteſt adeo ſponte legi hujus confeſſionis ac libere ipſum obtemperaſſe, ut cogi ac compelli non potuerit: *quippe cum ab Epiſcopo numquam omnino admiſſus fuiſſet, niſi id prius feciſſet.* Ex quo manifeſte conſequitur, hoc teſtimonium Euſebii ad confeſſionem ſoli Deo factam non poſſe transferri.

II. Lactantii Firmiani, qui tribus annis poſt Concilium Nicænum vixit, anno ſcilicet CCCXXVIII. duo loci proferuntur. Primus ex libro IV. Inſtitutionum capite 17. de vera Sapientia, in quo explicans, qua ratione circumcifio veteris Legis eſſet figura confeſſionis peccatorum quæ fit in nova, ait: *Quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quandam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda; ob hanc cauſam Deus nudari eam juſſit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus. Hæc eſt cordis circumciſio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad*

animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit: ut ſi cor nudaverimus, id eſt, ſi peccata noſtra CONFESSI *ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.* Secundus locus ex ejuſdem libri capite 30. exſcribitur. *Sed quia ſinguli quique cœtus hæreticorum ſe potiſſimum chriſtianos eſſe, & ſuam catholicam Eccleſiam putant: ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt* CONFESSIO *& pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.*

Non intelligit Dallæus, qua ratione hæc Lactantii verba ad confeſſionem auricularem referantur; adeoque ſic fatur lib. III. de Confeſſione capite 8. *Quamquam etiamſi iſta Lactantii referantur ad confeſſionem, quæ a pœnitentibus apud homines ex veteri Eccleſiæ more fiebat; non ideo tamen quicquam promotum fuerit confeſſionis auricularis negotium. Neque enim Lactantius docet, hanc quam intelligit confeſſionem, vel omnium omnino delictorum fuiſſe, vel ab omnibus fidelibus exactam eſſe, vel denique uni Sacerdoti factam fuiſſe.*

Digitized by Google

III. Reſponſionem ejuſmodi diluere non eſt valde difficile. Inſulſum enim eſt ſibi perſuadere, Lactantium eo loci non loqui de omni ſpecie peccati: quippe cum omne facinus, cujuſcumque generis ſit, legi confeſſionis ſubjiciat, dum ait: *Ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus.* Nullum enim peccatum eſt ſigillatim acceptum, quod non juremerito *pudendum facinus* appellari poſſit.

IV. Non minus ab inſtitutis ſenſus communis alienum eſt ſibi fingere, Lactantium noluiſſe ejuſmodi lege confeſſionis omnes homines teneri. Æquabili enim jure ea liberari ac ſolvi mulieres ſibi perſuadere quis poſſet, quoniam circumciſio, quam figuram eſſe confeſſionis peccatorum docet, mulieribus fieri non poterat. Ejuſmodi autem inductio inſana & intolerabilis videretur: quippe cum conceptis verbis doceat, *veniam contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegari.*

V. Certum eſt etiam, Lactantium eo loci non intelligere confeſſionem ſoli Deo factam: quippe cum loquatur de peccatorum declaratione, quæ Deo perfecte & intime cognita ſunt, qui viſcera cordis penetrat, & falli neutiquam poteſt, ſicut homines,

Digitized by Google

quorum animus infinitis erroribus ludificatur. *Admiſſa ſua celantibus venia denegatur ab eo qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.* Sed ab ejuſmodi explicatione Lactantii alienior non eſt ipſe Dallæus: quippe cum libenter fateatur, eo loci reſpicere ad confeſſionem, quæ apud homines ex veteri Eccleſiæ ritu fieri conſueverat. *Quamquam etiamſi iſta Lactantii referantur ad confeſſionem, quæ a pœnitentibus apud homines ex veteri Eccleſiæ more fiebat.*

VI. Una ſupereſt igitur difficultas Dallæo: ſcilicet, qui fieri potuerit, ut Lactantius confeſſionem auricularem in unius aurem Sacerdotis factam intellexerit. *Vel denique uni Sacerdoti factam fuiſſe.* Sed hæc difficultas materiam quam tractamus, nihil attinet. Conſtat enim, dogma Eccleſiæ catholicæ nihil aliud de confeſſione conſtituere, niſi omnibus fidelibus per peccatum lapſis impoſitam eſſe neceſſitatem confitendi peccata mortalia ſigillatim omnia Sacerdotibus, ad obtinendam vi clavium Eccleſiæ ſeu poteſtatis a Chriſto traditæ remiſſionem, ſive in unius aurem Sacerdotis iſta confeſſio fiat, ſive palam coram pluribus Sacerdotibus & ſenatu Eccleſiæ. Primulum ineunte ætate Eccleſiæ, coram conventu Sacerdotum, non

Digitized by Google

ex lege impoſita, peccata expoſita fuiſſe, ac frequenti ſenatu de iis judicium latum fuiſſe, exiſtimant quidam Scriptores catholici; ſed ſemper in aurem Epiſcopi aut Presbyteri pœnitentiarii facta eſt confeſſio. Ex his autem intelligere facile eſt, quantum ab æquitatis & rectæ rationis inſtitutis aliena ſit exprobratio Dallæi adverſus Eccleſiam Romanam, dum ait, confeſſionem auricularem πολιτικῶς inveniſſe, atque hanc conſcientiarum lanienam inſtituiſſe, qua miniſtri Eccleſiæ *ſcire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.* Multo acerbior laniena videretur, ſi Eccleſiæ catholicæ ſemper fuiſſet in eadem diſciplinæ ſeveritate permanſio, & ſi nunc omnia ſua, etiam magis recondita cordis peccata, quæ in unius aurem Sacerdotis clam & ſtrictiſſimo ſigillo clauſa hodie recondunt, coram cœtu Epiſcopi & Presbyterorum pœnitentes enarrare tenerentur.

VII. His ita conſtitutis, inſulſum eſt defendere, Lactantium ſecundo loco mox citato non intellexiſſe confeſſionem peccatorum, dum ait, mentione facta de vera Eccleſia, *in qua eſt religio, confeſſio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat:* ſed confeſſionem ſeu profeſſionem fidei, uti con-

tendit pluſquam poteſt Betuleius diverſæ partis Scriptor, in ſuis ad hunc Lactantii locum notis, quas cum aliis variorum notis edidit Servatius Gallæus Lugduni Batavorum apud Franciſcum Hackium anno MDCLX. *Confeſſionem*, inquit, *intellige, de qua eſt in priori canonica Ioannis cap.* IV. *Omnis ſpiritus qui confitetur*, JESUM CHRISTUM *in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Non enim, ſi bona fide agatur, credibile eſt aut probabile, de confeſſione incarnationis Verbi loquutum eſſe Lactantium ſcribentem adverſus Novatianos, qui ſemper profuſis mentibus myſterium incarnationis Verbi admiſerunt; ſed econtra autoritatem miniſtrorum Eccleſiæ ad remiſsionem peccatorum procurandam; adeoque confeſsionis peccatorum neceſsitatem acriter pernegarunt.

VIII. Eamdem peccatorum confeſsionem fieri ſolitam, certa teſtificatione ſignificat Concilium Laodicenum, quod ante Nicænum celebratum eſt ſub Silveſtro Pontifice Romano, canon. II. Περὶ τοῦ, τοὺς ἐξαμαρτάνοντας ἐν διαφόροις πταίσμασι, καὶ προσκαρτεροῦντας τῇ προσευχῇ τῆς ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας, καὶ τὴν ἀποστροφὴν τῶν κακῶν τελείαν ποιουμένους, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος, καιροῦ μετανοίας δοθέντος τοῖς τοιούτοις, διὰ τοὺς οἰκτιρ-

μοὺς, ϗ τὴν ἀγαθότητα τοῦ Θεοῦ προσάγεσθαι τῇ κοινωνίᾳ. De his qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis & pænitentiæ, converſionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pænitentiæ tempus impenſum, propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

Fatetur ingenue Dallæus, peccatorum confeſsionem eſſe ex hoc canone intelligendam, ſed prorſus ab ea quæ uſu recepta eſt hodie, alienam. Contendit enim, Concilium Laodicenum hanc ſpectare exomologeſim, quam Albaſpinæus, Rigaltius & Petavius actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem eſſe exiſtimant: & obfirmato pectore propugnat, nihil in rem confeſsionis auricularis ex hoc canone aſſumi poſſe, ex quo non intelligimus conceptis verbis, omnia ſigillatim peccata fuiſſe iſti confeſsioni ſeu exomologeſi ſubjecta, aut eadem cum circunſtantiis & conditionibus expleviſſe Sacerdotum aures. Sed paucis verbis ejuſmodi reſponſionis laqueis extricare ſe facile eſt. 1. Illuſtriſſ. Albaſpinæus, Rigaltius & Petavius numquam exiſtimaverunt, vocem *exomologeſis* ſemper apud veteres Scriptores ſignificare actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem. Doctiſsimus Petavius in ſuis ad Epiphanium notis, ut jam

Digitized by Google

ſupra obſervavimus, diſerte docet, hanc vocem *exomologeſis* ambiguam eſſe & æquilibrem, modoque confeſſionem ſimplicem peccatorum, modo actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem reddere. 2. Non opus eſt probare, ejuſmodi confeſſionem factam fuiſſe in unius aurem Sacerdotis: ſed abundanter ſufficit Sacerdotibus peccata explicata fuiſſe, ſive clam, ſive coram ſenatu preſbyterii, & vi clavium eis a Chriſto commiſſarum, ſeu traditæ poteſtatis, veniam procuratam fuiſſe: cui non abnuere videtur ipſemet Dallæus, dum ait: * *Fateor, qui exomologeſim faciebant, eorum delicta Eccleſiæ præſidibus cognita fuiſſe, & ex eorum ratione variam ipſis ſecundum canones impoſitam fuiſſe pœnitentiam.* 3. Quis etiam ſibi perſuadeat, Concilium Laodicenum non omnia, ſed quædam tantum crimina lege confeſſionis comprehendere voluiſſe, dum ait, *eos qui in diverſis delictis peccant, &c.* περὶ τοῦ, τοὺς διαμαρτάνοντας ἐν διαφόροις πταίσμασι. Non enim poterant omnia ſigillatim peccata Sacerdotibus declaranda magis eleganter & indiſcriminatim explicari. 4. Nec dubitandi locus relinquitur, quin exiſtimaverit exponendas eſſe peccatorum circunſtantias, ex his canonis verbis,

* *Lib. 11. de Confeſſ. cap. 9. pag. 234.*

tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato : altera habet verſio, *pro qualitate peccati*, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος. Conſtat enim, variis peccatorum circunſtantiis & proportionem & qualitatem mutari, adeoque iis incognitis non poſſe ſcelera juſte ac legitime judicari. Quis enim putet eadem pœna plectendum eſſe reum habitæ rei cum uſuraria & publica muliere, & ſtupri virgini reluctanti illati ? Quis non magis reum exiſtimet Sacerdotem & aras & templa quæ ſacravit ipſe, fœdantem, homine plebeio eadem ſcelera commiſſuro ? Igitur cum ætate Concilii Laodicenſis tempus pœnitentiæ pro delicti proportione ſive peccati qualitate daretur : non ſolum opus, verum etiam neceſſe erat ex circunſtantiis & conditionibus explicatis peccatorum proportionem & qualitatem intelligi, & ad eam pœnitentiæ, ſive a Sacerdotibus & judicibus impoſitæ pœnæ regulam & amuſſim dirigi. Quid ergo ſibi vult Dallæus, dum ait libri III. de Confeſſione capite 8. pagina 234. *Omnia delicta exomologeſi ſubjecta fuiſſe, & eorum quæ ei ſubjiciebantur, confeſſionem in aurem unius Presbyteri & neceſſario & particulatim, expreſſis etiam circunſtantiis, factam fuiſſe nego hinc, nego aliunde ex illius quidem ſæculi Scri-*

ptoribus haberi. Et concludit, *Ergo nullum eſt in hac Synodo auriculari confeſſioni præſidium.*

CAPUT VIII.

Explicantur S. Hilarius Pictavienſis, & S. Athanaſius. Argumentum aſſumitur ex S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diacono.

I. CUM adverſus Arianorum hæreſim potiſſime ſcripſerit S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, fidemque Eccleſiæ catholicæ vindicaverit, non ei frequenter occaſio dicendi de confeſſione offerri potuit. Verumtamen ex hoc Patre locum prodidit Cardinalis Bellarminus, ex quo licet invictiſſimum confeſſionis auricularis argumentum non aſſumpſerit, Dallæo tamen negotium ſatis arduum faceſſit, ipſumque ad tantulas anguſtias adduxit, ut qua data porta ruere, ac temere & effrænate periculum declinare compulſus ſit. Porro S. Hilarii locum exſcripſit Bellarminus ex Commentario in S. Matthæum. Lege pag. 581. lit. B. editionis Pariſ. Operum S. Hilarii anni MDCLII. *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, im-*

Digitized by Google

mobile ſeveritatis apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint CONFESSIONE *videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque abſoluti ſint aut ligati.*

Duo ex hoc loco luce meridiana clarius intelliguntur. 1. In poteſtate Apoſtolorum Chriſtum Dominum poſuiſſe remiſſionem ſeu abſolutionem peccatorum. 2. Hanc abſolutionem eſſe ex confeſſione conſectaneam. *Vt quos ſolverint confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem.* Cum autem in his Dallæus ſurdus non fuerit, ſed fortaſſe nimiam auditionem habuerit, defendit libro III. de Confeſſione capite 9. pag. 236. hanc vocem *confeſſione*, vitio ſcribæ aut typographi ſcriptam fuiſſe loco vocis *conceſſione*, ex qua ſenſus naturaliter ad normam rectæ rationis accurate directus exſurgit, *conceſſione videlicet veniæ*: cum econtra his verbis, *confeſſione videlicet veniæ*, obſcurus & inexplicabilis inducatur. Revera ſi Dallæus antiquum & ſincerum codicem MS. S. Hilarii in gratiam ejuſmodi reſtitutionis grammaticæ proferret, rotunde fateremur, ejuſmodi locum confeſſioni quam defendimus, propitium non eſſe, licet ex eo patrocinium maximum aſſumere

non deſiſteremus ad tuendam remiſſionem peccatorum in Apoſtolorum ſeu miniſtrorum Eccleſiæ poteſtate poſitam. Sed cum hæc vox *confeſſione*, non hæc *conceſſione*, in omnibus S. Hilarii editionibus,etiam Eraſmi, confeſſioni auriculari parum æqui, immo & ſemper infeſti, & in antiquis codicibus MSS. occurrat, præſertim Bibliothecæ Colbertinæ, in qua numero 886. codex ſexcentorum annorum hanc vocem *confeſſione*, non *conceſſione* habet: quis dubitet propria manu Hilarii in autographo ſcriptam fuiſſe? Præterea ſenſus ex his vocibus, *confeſſione videlicet veniæ*, naturaliter exſurgit ad ſignificandum confeſſionem eſſe ipſam veniam, ſeu cauſam veniæ peccatorum, quia ejus ope procuratur: cum præſertim S. Hilarius pœnitentiam, quam cum confeſſione indiſcriminatim confundit, veniam eſſe peccati dicat, Enarratione in Pſalmum CXVIII. pag. 950. lit. C. *Quia vera peccati confeſſio eſt ſine intermiſſione temporis pænitere, hæc venia peccati eſt fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.*

Igitur ſi grammaticæ reſtitutioni locus hic eſſe videatur, non in voce *confeſſione*, ſed potius in voce *veniæ* relinquitur: probabiliterque legendum eſt, *confeſſione videlicet*

veniâ, non *veniæ*; cum de confeſſione ſeu pœnitentia dicat Hilarius: *Hæc venia peccati eſt, &c.* & multo facilius fuerit ſcribæ fortaſſe diſtento, aut characteres celeriter efformanti, pingere *a'* pro *â*, & apoſtrophem ' loco accentus circumflexi ^ collocare, quam literam *c* in *f* mutare, & *confeſſione* pro *conceſſione* ſcribere.

II. Sed altius hoc negotium promovet Dallæus libro IV. de Confeſſione capite 33. quo contendit opinioſus homo S. Hilarium inter adverſarios confeſſionis auricularis recenſere, orique ejus inducit, ſufficere ſoli Deo peccata confiteri, ex Enarratione in Pſalmum LI. pag. 702. *Confeſſionis autem cauſam addidit dicens: Quia feciſti: autorem ſcilicet univerſitatis hujus Dominum eſſe confeſſus, nulli alii docens confitendum, quam qui fecit olivam fructiferam ſpei miſericordia in ſæculum ſæculi.* Sed non attendit Miniſter, S. Hilarium eo loci non ſpectare confeſſionem peccatorum, ſed laudum & nominis Dei, de qua inquit David Pſalmo VI. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Id vero facile eſt intelligere ex conceptis verbis Hilarii locum citatum proxime præcurrentibus: *Intercluſa eſt ergo libertas voluntatis, quia confeſſio nulla fit mortuis, ſecundum id quod di-*

ctum eſt: In inferno autem quis confitebitur tibi? Sperans ergo Propheta miſericordiam in ſæculum & in ſæculum ſæculi, confitetur tantum in ſæcula: temporalia confeſſionis officia ſæculi tempore gerens, ſpem vero æternam ſæculorum æternitate protendens.

III. S. Athanaſius argumentum non imbecillum uſu receptæ ſuo tempore confeſſionis peccatorum ſuppeditat pag. 484. Vitæ quam ſcripſit S. Antonii, in qua refert, ſanctiſſimum Orientalium Monachorum Patriarcham hunc morem ad evitanda peccata potiſsimum commendaſſe. *Ad cavenda peccata hoc etiam cuſtodiatur.* ἔστω δὲ καὶ αὕτη πρὸς ἀσφάλειαν τοῦ μὴ ἁμαρτάνειν παρατήρησις. *Vnuſquiſque actiones animique affectiones tanquam alii nunciaturus notet conſcribatque; nec dubium, quin pudore ac metu ne patefiat, non a peccato ſolum, verum & a pravis cogitationibus ſibi prorſus caverit.* Hoc enim vocabulum παρατήρησις, *cuſtodia*, S. Antonium non ad novum inſtitutum ſuos diſcipulos inſtigare ſignificat, uti ſibi fingit Dallæus lib. IV. de Confeſſ. cap. 13. ſed ad obedientiam regulæ jam uſu receptæ. Non enim res cuſtodiuntur, niſi jam exiſtant, ſeu inſtitutæ ſint. Eo ſenſu accipitur verbum τηρέω Matthæi capite XXVII. ℣. 54. ὁ δὲ ἑκατόνταρχος καὶ οἱ μετ' αὐ-

τοῦ,

τοῦ, τηροῦντες τὸν Ἰησοῦν. Et Joannis cap. II. ℣. 10. σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι. Actuum Apoſtolor. capite XXV. ℣. 21. τοῦ δὲ Παύλου ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, ἐκέλευσα τηρεῖσθαι αὐτόν. *Et Paulo appellante ſervari ſe ad Auguſti cognitionem, juſſi ſervari eum.* 1. Corinth. cap. VII. ℣. 19. ἡ περιτομὴ οὐδέν ἐστι, καὶ ἡ ἀκροβυστία οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τήρησις ἐντολῶν Θεοῦ. *Circumciſio nihil eſt, neque præputium, ſed obſervatio ſeu cuſtodia mandatorum Dei.* Præterea ex alio S. Athanaſii loco intelligimus, ipſum non dubitaſſe, quin Chriſtus ſuis diſcipulis poteſtatem remittendi peccata reliquerit, qua uti, poſtpoſita peccatorum explicatione ſeu confeſsione, juſte ac legitime non poterant. Lege Tomo I. Operum S. Athanaſ. tractatum in hæc verba Evangelii: *Profecti in pagum qui ex adverſo eſt, invenietis pullum alligatum, &c.* pag. 990. lit. D. *Quod ſi nondum ſoluta ſunt vincula, tradas te ipſum diſcipulis* JESU: *adſunt enim qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam a Salvatore acceperunt. Quæcumque ligaveritis, inquit, in terra, erunt ligata in cælis; & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælis: & ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis.* εἰ δὲ μήπω λελύνται σου οἱ δεσμοὶ, ἐπίδος ἑαυτὸν τοῖς μαθηταῖς τοῦ Ἰησοῦ· πάρεισι γὰρ

οἱ λύοντες ἡμαῖ, ἐξουσίαν ταύτην εἰληφότες παρὰ τοῦ Σωτῆρος. ὅτι ὃ ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. His intricatus Dallæus, hoc opus S. Athanaſii cum Abrahamo Sculteto in Medulla Theologiæ Patrum, ſuæ partis Scriptore, in dubium revocat. Sed cum dubitandi locum, nec ex ſtyli diſſimilitudine, nec antichroniſmi contrarietate, aut manuſcripti codicis fide habeat: manifeſtum eſt, ipſam veritatem confeſsionis ex alto antiquitatis eccleſiaſticæ loco diductam, animum falſi cupidum ad ſuſpicionem traduxiſſe. At inquit Dallæus hanc autoritatem remittendi peccata in Eccleſiæ Sacerdotibus ex hac Athanaſii teſtificatione recognoſcere coactus: *Hoc vero vel ad catechumenos pertinet, qui nondum Baptiſmo tincti erant, vel ad eos etiam fideles, qui quod in aliquod ex iis peccatis quæ canonibus Eccleſiæ notata erant, incidiſſent, per publicam pænitentiam reconciliandi erant. Illos monet, ut ſuſcepto quamprimum Baptiſmo, peccatorum vinculis ſe exſolvant; hos ut pænitentiam agant: in quorum utroque neceſſarium erat Præſidum Eccleſiæ miniſterium.*

Ex ſola Homiliæ lectione perſpectum eſt, ipſum catechumenos non ſpectare, ſed fide-

Digitized by Google

les baptizatos. Hæc enim concepta verba ſolis baptizatis congruunt : *Vnuſquiſque enim noſtrum obligatus eſt vinculis peccatorum. Optamus igitur, ut & ad nos mittat diſcipulos ſuos* JESUS, *quo reſolvant vincula, quibus unuſquiſque noſtrum innodatur.* Oportet enim Athanaſium ipſum adhuc catechumenum fuiſſe, ſi ejuſmodi verba de catechumenis intelligantur. Altera Dallæo felicius non procedit ſolutio. Incredibile enim eſt, eo loci S. Athanaſium loqui de peccatis pœnitentiæ publicæ obnoxiis. Enimvero peccata legibus canonicis pœnitentiæ publicæ ſubjecta, erant idololatria, mœchia & homicidium, de quibus eo loci mentionem non facit S. Athanaſius ; ſed econtra de aliis peccatis, quibus nominatim canones pœnas non præſcripſerant : ſcilicet avaritia, ebrietate, ambitione, injuria proximo facta, uſura & rapina. *Hic enim*, inquit continuo ſermone pag. 985. lit. D. *obvincitur avaritia, ille implicatur fornicationibus, alius ebrietate alligatur, alius rurſum detinetur inani ambitione : eſt qui injurias faciat, eſt qui rapiat quæ ſunt ſui proximi & pauperis, alius uſuram uſuræ accumulat, & in ſumma, omnes laboramus noſtris vitiis, & indigemus Salvatoris curatione, eoque opus habemus, ut ad nos amandet diſcipulos ſuos, & libe-*

Digitized by Google

rent nos a diaboli compedibus. Hæc enim omnia clariſſime demonſtrant, non ſolum graviora quædam ſcelera fuiſſe clavibus Eccleſiæ ſubjicienda, verum etiam omnia & omnis generis peccata. Καὶ γὰρ ὁ μὲν δέδεται φιλαργυρίᾳ, ὁ δὲ πλέκεται πορνείᾳ, καὶ ἄλλος μέθῃ συνδέδεται, ἕτερος κρατεῖται κενοδοξίᾳ, ἄλλος μὲν ἀδικεῖ, ὁ δὲ ἁρπάζει τὰ τοῦ πλησίου καὶ τοῦ πένητος, ἄλλος τόκον ἐπὶ τόκῳ λαμβάνει, καὶ τέλος, πάντες ἠσθενήσαμεν ἐν ταῖς ἀδικίαις ἡμῶν, καὶ χρῄζομεν τὸ παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἰάσεως, καὶ χρῄζομεν αὐτοῦ, ἵνα καὶ πρὸς ἡμᾶς ἀποστείλῃ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ λύσωσιν ἡμᾶς ἐκ τῶν τοῦ διαβόλου δεσμῶν.

Non magis rationi congruit quod profert Miniſter ad explicandum hunc Athanaſii locum. *Poſtremo concedo etiam aliquo ſenſu dici poſſe, quicumque ullo omnino peccato ſolvuntur, eos a diſcipulis* JESU *ſolvi; ita ſcilicet ut eorum vel propria manu & miniſterio, ut baptizati & pœnitentes, vel certe doctrina & inſtructione ſoluti intelligantur, ut ii qui audito vel lecto Evangelio compuncti, veroque delictorum ſenſu affecti, apud Deum gemunt & reſipiſcunt.* Quis enim ſenſus communis compos ſibi perſuadeat, S. Athanaſium his vocibus ſignificare voluiſſe doctrinam & inſtructionem, ἐξουσίαν ταύτην εἰληφότες; nec aliquod

privilegium Sacerdotibus adſcripſiſſe, quod tamen æquabiliter laicis, qui nonnunquam doctrina & inſtructione, ſaltem exemplo & vitæ ſanctimonia conducibiliores ſunt nonnullis Sacerdotibus, competeret? Præterea fatemur, vere reſipiſcentes audito vel lecto Evangelio compunctos, & vero delictorum ſenſu affectos, gemitibus ſibi procurare veniam peccatorum. Sed negamus, vero hoc delictorum ſenſu affici, qui nec animum nec voluntatem habent ſubjiciendi delicta ſua clavibus Eccleſiæ. Nec juvat Dallæum dicere, ejuſmodi explicationem a Doctoribus catholicis accipi debere, quoniam alioqui credere non poſſent, omnia peccata ad obtinendam remiſſionem miniſterio Sacerdotum indigere: quippe cum doceant multis modis venialia hoc miniſterio prætermiſſo ſolvi & expiari. *Alioqui ne ipſi quidem*, ait, *adverſarii tueri poſſunt, omnia omnino peccata Sacerdotum operam neceſſario deſiderare, qui, ut notum eſt, docent venialia ſine eorum miniſterio multis modis ſolvi ac expiari.* Sed ejuſmodi objectionis vim retundere non difficile eſt. Enimvero cum Doctores catholici exiſtiment, peccata venialia ſine miniſterio Sacerdotum multis aliis modis expiari, neceſſe eſt eos non putare, omnia omnino peccata etiam venialia

Digitized by Google

Sacerdotum operam neceſſario deſiderare. Hanc quidem objectionem rotunde concludere fateremur, ſi inter eos modos recenſerent Theologi catholici doctrinam & inſtructionem, quibus pœnitentes venialibus peccatis ſolvi intelligerentur. Sed ejuſmodi doctrina in eorum mentem numquam incurrit, immo bonis operibus, eleemoſynis, orationibuſque ea deleri defendunt. Revera motus reſipiſcentiæ, compunctionis, verique doloris in viſceribus peccatorum doctrina & inſtructione excitantur. Sed ſi quis in eo poteſtatem a Deo traditam Apoſtolis collocet ad remittenda peccata: cum ejuſmodi motus ex lectione Enchiridii Epicteti, & librorum Senecæ & Ciceronis non difficiliter exſurgant; fateri opus erit, poteſtatem ligandi & ſolvendi pleriſque Philoſophis & Scriptoribus ethnicis æque ac Apoſtolis a Deo eſſe traditam. Quis enim intimo delicti ſenſu non afficitur, dum legit hæc verba Epiſtolæ XXI. Ciceronis libro V. L. Meſcinio. *Tu ſi me diligis, fruere iſto otio, tibique perſuade, præter culpam ac peccatum, qua ſemper caruiſti & carebis, homini accidere nihil poſſe quod ſit horribile aut pertimeſcendum.* Et hæc Senecæ Tragici: *Illi mors gravis incubat, Qui notus nimis omnibus, Ignotus moritur ſibi.* Ipſe S. Au-

Digitized by Google

guſtinus fatetur, ejuſmodi pios affectus primulum ſenſiſſe ex lectione librorum Ciceronis, lib. VIII. Confeſſionum cap.7. *Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forte duodecim anni, ex quo ab undevigeſimo anno ætatis meæ lecto Ciceronis Hortenſio, excitatus eram ſtudio ſapientiæ, & differebam contempta felicitate terrena ad eam inveſtigandam vacare, cujus non inventio, ſed vel ſola inquiſitio jam præponenda erat etiam inventis theſauris, regniſque gentium, & ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus.*

IV. Jam vero quid in rem confeſſionis prodiderit S. Ephrem Diaconus Eccleſiæ Edeſſenæ proferamus: Vixit ſui nominis fama illuſtris ab anno Chriſti CCCLX. uſque ad CCCLXXVIII. quo obiit Kalendis Februarii; & ex Bibliotheca Photii mentionem facientis Operum alterius Ephremi Patriarchæ Antiocheni, qui floruit anno DXXX. & obiit DXLVI. intelligimus, cavendum eſſe, ne iſti cognomines Scriptores confundantur. Gerardus Voſſius ſive *Volkens*, Præpoſitus Tungrenſis, Diaconi Edeſſeni, ex cujus lucubrationibus argumentum ad tuendam cauſam confeſſionis aſſumimus, Opera Latine ſcripta & amplificata edidit anno MDLXXXIX. eaque Sixto V. Pontifici Maxi-

mo dicavit, quæ jam prima vice publici juris facta fuerant Coloniæ anno MDXLVII. ex verſione Ambroſii Florentini, Camaldulenſium Præfecti Generalis. Porro quidam docti viri hæc Opera in ſuſpicione poſuerunt, quæ Bellarminus præ temporis anguſtia nondum examinata ait magis pia, quam ſibi docta videri. Verumtamen judicium ejuſmodi Operibus magis propitium tulerat S. Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. *Ephrem*, inquit, *Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, multa Syro ſermone compoſuit, & ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem Scripturarum publice in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta recitentur*. Ego vero non dubito omnium doctorum animos aggregatum iri ad hanc ſententiam S. Hieronymi, ex codicibus manuſcriptis qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, ſi nova editio Operum hujuſce Patris cum cura exprimeretur. Sed non debeo prætermittere locum ex libro I. Admonitionum de compunctione cordis, in quo poſt multas ſcelerum enumerationes ait: *Et ſi te devictum in hoc ſenſeris, feſtina ſanitatem recipere, & ſtatue cuſtodiam in corde tuo, &* PER CONFESSIONEM *a ſpiritali patre & a medico quære medelam, ne rurſum eadem patiaris. Si ita ſolicitudinem habueris omni hora,*

ſalvabis mercimonium tuum, & Domino tuo placebis, & tibimetipſi utilis eris. Cum autem Presbyteri ſeu Sacerdotes populorum patres ac medici continua traditione habeantur, quis dubitet, S. Ephrem eo loci confeſſionem faciendam Sacerdotibus intelligere?

Plura ſunt & pæne infinita in his lucubrationibus non ſolum veritati Eccleſiæ catholicæ, ſed & ejus ritibus tuendis conducibilia: quamobrem homines Proteſtantes, ac præſertim Critici, Perkinſus, Cocus & Rivetus, de his judicium ſuſpicioſum non tam ex ſapienti conſilio, quam ex eventu fecerunt. Sed hæreticam cupiditatem doctiſſimus Labbeus Jeſuita tam nervoſe refutavit atque injurias retaliavit, ut neminem literatum hominem fore exiſtimem, quin jucundiſſima lectione animum explere velit Diſſertationum Hiſtoricarum de Scriptoribus eccleſiaſticis, præſertim Tom. 1. pag. 286. quas publicavit Pariſiis anno MDCLX.

CAPUT IX.

Explicantur SS. Patres, Baſilius Magnus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Gregorius Nazianzenus, Pacianus Barcinonenſis, Gregorius Nyſſenus: & inviĉtiſſima argumenta ex eorum Lucubrationibus aſſumuntur.

ECCLESIA catholica de confeſſione auriculari conſtituit, impoſitam eſſe omnibus poſt Baptiſmum lapſis neceſſitatem exponendi ſua peccata Sacerdotibus, ſeu Epiſcopis & Preſbyteris ad obtinendam remiſſionem, in Apoſtolorum poteſtate ligandi & ſolvendi a Chriſto Domino poſitam. At vero iſtiuſmodi dogmatis veritas ex continuis S. Baſilii locis perfecte intelligitur.

I. Sic fatur Comment. in Pſalmum XXIX. pag. 191. lit. B. Tom. I. editionis Pariſ. anni MDCXVIII. ὑπὲρ οὖν τοῦ ἐξιλασμοῦ τῶν ἡμαρτημένων, ἐξομολογεῖσθε περὶ τῶν οὐχ ὑγιῶς ὑμῖν προπεπραγμένων. *In propitiationem ergo remiſſionemve eorum quæ peccaſtis, confitemini de his quæ non recte prius nec ſobriè facta ſunt a vobis.* Quis vero dubitet hæc verba, omni exceptione poſtpoſita, omnia omnino pec-

cata generatim & generaliter ſignificare, οὐχ ὑγιῶς ὑμῖν προπεπραγμένων? Non minus conſtat, ejuſmodi confeſſionis ope procuratam fuiſſe peccatorum propitiationem ſive remiſſionem. At ex alio S. Baſilii loco intelligimus, non omnibus indiſcriminatim hominibus factam fuiſſe hanc confeſſionem, ſed iis tantummodo qui ligandi atque ſolvendi poteſtatem a Chriſto Domino acceperant: ſcilicet ex canone 74. Epiſtolæ 111. canonicæ ad Amphilochium. Tom. 11. pag. 777. lit. C. D. Ἐὰν μέντοι γε ἕκαστος τῶν ἐν τοῖς προειρημένοις ἁμαρτήμασι γενομένων, σπουδαῖος γένηται ἐξομολογούμενος, ὁ πιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν καὶ δεσμεῖν, εἰ φιλανθρωπότερος γένοιτο, τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως ὁρῶν τοῦ ἡμαρτηκότος, εἰς τὸ ἐλαττῶσαι τὸν χρόνον τῶν ἐπιτιμιῶν, οὐκ ἔσται καταγνώσεως ἄξιος· τῆς ἐν ταῖς γραφαῖς ἱστορίας γνωριζούσης ἡμῖν, τοὺς μετὰ μείζονος πόνου ἐξομολογουμένους ταχέως τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν καταλαμβάνειν. *Si autem unuſquiſque eorum qui in prædictis peccatis fuere, confeſſus bonus evaſerit, & is cui a Dei benignitate ligandi & ſolvendi credita eſt poteſtas, ſi fiat clementior, videns ſummam ejus qui peccavit confeſſionem, ad diminuendum pœnarum tempus, non erit dignus damnatione, cum quæ eſt in Scripturis, nobis hiſtoria ſignificet, quod qui*

cum majori labore confitentur, Dei miſericordiam celerius apprehendant. Supervacaneum eſſet reſpondere, ejuſmodi diſciplina non comprehendi omne genus peccati, ſed manifeſtorum tantum ſcelerum ſpeciem, quorum rei ſpecie quadam pœnitentiæ publicæ purgabantur: quippe cum antea probaverimus capite II. & III. tempore S. Baſilii ejuſmodi impoſitam fuiſſe pœnitentiam publicam peccatoribus occultis, ſeu communione corporis Chriſti palam interdictum fuiſſe.

II. Sed uſu receptam fuiſſe confeſſionem peccatorum, perſpectum habemus potiſſime apud Monachos, ex Regulis brevioribus S. Baſilii, ac præſertim ex Reſponſione ad quæſtionem 288. his verbis concepta: *Neceſſario iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμαρτήματα. Certum eſt, S. Baſilium non exiſtimaſſe omnibus hominibus indiſcriminatim traditam eſſe diſpenſationem myſteriorum; ſed eo loci omnia omnino peccata cujuſcumque generis intellexiſſe aperienda. Enimvero cum de quibuſdam peccatis non reſtricte faciat mentionem, omnia comprehendere indefinita enunciatione neceſſe eſt. Mentem vero ſuam diſerte ex-

plicavit de iis quibus myſteriorum diſpenſatio credita eſt, & reſtricte quibuſdam tantum viris, non omnibus hominibus commiſſam fuiſſe ſignificavit. Id enim abundanter intelligitur ex quæſtione poſita numero 288. ad quam reſpondet, his verbis concepta: *Qui peccata ſua confiteri vult, numquid omnibus paſſim & quibuſvis ea confiteri libet, aut certis quibuſdam?* Idem omnino perſpicimus ex Reſponſione ad quæſtionem 229. *Omnino in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibuſvis temere homines aperiunt, ſed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda ſint, teneant; eodem modo etiam peccatorum confeſſio fieri debet, apud cos videlicet qui ea poſſint curare.* ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων. τοῦτον ἔχει τὸν λόγον, ὃν ἔχει ἡ ἐπίδειξις τῶν σωματικῶν παθῶν, ὡς οὖν τὰ πάθη τοῦ σώματος οὐ πᾶσιν ἀποκαλύπτουσιν οἱ ἄνθρωποι, οὔτε τοῖς τυχοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἐμπείροις τῆς τούτων θεραπείας. Porro eadem ætate aſceſim fuiſſe Monialium confitendi peccata ſua Preſbyteris, dubitandi locum non relinquit quæſtio 110. in brevioribus Regulis: *Numquid conveniat, dum ſoror Presbytero confitetur, etiam Antiſtitam ipſam adeſſe?* Niſi enim Moniales tunc temporis ſua peccata Preſbytero confeſſæ fuiſ-

ſent, inſulſa ac futilis erat ejuſmodi interrogatio. Sed non ſolas Moniales, verum etiam integram plebem ſuis curis commiſſam ad hanc confeſſionis ſpeciem hortatur S. Baſilius Homilia in hæc verba, *Attende tibi ipſi.* pag. 345. lit. D. in fine. ἐν μὲν γε ταῖς ἀσθενείαις, οἱ ἰατροὶ τοῖς κάμνουσι παρεγγυῶσι προσέχειν αὐτοὺς ἑαυτοῖς, καὶ μηδενὸς τῶν εἰς θεραπείαν ἡκόντων καταμελεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἰατρὸς τῶν ψυχῶν ἡμῶν ὁ λόγος τὴν ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας κεκακωμένην ψυχὴν, διὰ τοῦ μικροῦ τούτου βοηθήματος ἐξιᾶται. πρόσεχε οὖν σεαυτῷ, ἵνα κατὰ ἀναλογίαν τοῦ πλημμελήματος, καὶ τὴν ἐκ τῆς θεραπείας βοήθειαν καταδέξῃ. μέγα καὶ χαλεπὸν τὸ ἁμάρτημα; πολλῆς σοι χρεία τῆς ἐξομολογήσεως, δακρύων πικρῶν, συντόνου τῆς ἀγρυπνίας, ἀδιαλείπτου τῆς νηστείας. *Infirmitate enim laborantes adhortantur medici, ſibi ipſis ut attendant, neu quidvis negligant concernentium medelam ac ſoſpitatem. Nihiloſecius ſermo ſalutaris iſtius mandati, nempe animarum noſtrarum medicus, miſere affectam noxa lethalis peccati perſanat animam exiguo hoc auxiliari antidoto. Itaque attende tibi ipſi, ut pro delicti proportione huic quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis inſtaurandæ ſubſidium. Magnum eſt & grave peccatum? Multa opus habes* CONFESSIONE, *lacrymis amarulentis, peracri contentione vigi-*

Digitized by Google

liarum, indivulſo & continenti jejunio.

At econtra Dallæus contendit lib. IV. de Confeſſione capite 33. S. Baſilium docuiſſe ſoli Deo, poſtpoſitis Eccleſiæ miniſtris, ſufficere factam confeſſionem, citatque Homiliam in Pſalmum XXXVII. pag. 242. lit. C. οὐ
γὰρ ἵνα τοῖς πολλοῖς φανερὸς γένωμαι, τοῖς χείλε-
σιν ἐξομολογοῦμαι· ἔνδον δὲ ἐν αὐτῇ τῇ καρδίᾳ τὸ
ὄμμα μύων, σοὶ μόνῳ τῷ βλέποντι τὰ ἐν κρυπτῷ,
τοὺς ἐν ἐμαυτῷ στεναγμοὺς ἐπιδεικνύω, ἐν ἐμαυ-
τῷ ὠρυόμενος. οὐδὲ γὰρ μακρῶν μοι λόγων χρεία
ἦν πρὸς τὴν ἐξομολόγησιν· ἀπήρκουν γὰρ οἱ στεναγ-
μοὶ τῆς καρδίας μου πρὸς ἐξομολόγησιν, καὶ οἱ ἀπὸ
βάθους ψυχῆς πρός σε τὸν Θεὸν ἀναπεμπόμενοι
ὀδυρμοί. *Non enim ut multis manifeſtus fiam, ore tantum fateor, ſed corde ipſo clauſis oculis, tibi ſoli reſpicienti arcana, mecum ipſe rugiens, oſtendo meos gemitus. Non enim multis verbis mihi opus erat ad confeſſionem, ad quam & cordis mei ſuſpiria, & ex animæ penetralibus ad te Deum meum tranſmiſſi queſtus ſufficiebant.*

Reſponſio facilis eſt, eo loci Baſilium non ſpectare confeſſionem peccatorum faciendam ex præſcripto novæ Legis, ſed veteris, & antequam remiſſionem peccatorum Chriſtus Dominus in ſuorum Apoſtolorum poteſtate poſuiſſet. Verba quippe citata indu-

Digitized by Google

cit ori Davidis Deo ſoli peccata ſua confitentis, & numen vero ſenſu delicti, & intimo cordis dolore affecti propitiantis. Hac arte S. Baſilius, & inducta proſopopœia mirabiliter explicat hæc verba regii Vatis: *Rugiebam a gemitu cordis mei;* eaque carpit hypocritas, qui ut auram captarent popularem, nomenque ſuum celebrarent, ſimulata modeſtia palam ſua peccata fatebantur, vitiaque ac ſcelera ſub ſpecie reſipiſcentium flagrantiſſime deſiderabant. Hæc igitur objectio Dallæi nihil attinet, nec valere poteſt argumentum ejuſmodi, niſi adverſus eos, qui craſſa ignorantia laborantes, ac ſenſu communi capti defenderent, in veteri, ut in nova Lege, confeſſionis auricularis ope procuratam fuiſſe peccatorum veniam.

III. Ad Sancti Baſilii rationes adjunxit ſe dubio procul S. Gregorius Nazianzenus, quicum multa familiaritate & neceſſitudine conjunctus erat, dum ait Oratione xv. pag. 236. μέγα κακίας φάρμακον, ἡ ὁμολογία καὶ φυγὴ τοῦ πταίσματος. *Magna vitii medicina, & confeſſio & peccati fuga.* Et inter optandas a Deo gratias recenſet, τὴν δὲ ἐξαγορεύσεως καὶ ἀτιμοτέρας ἀγωγῆς ἐπανόρθωσιν, *correctionem eam quæ ex peccati declaratione, contemptiorique vitæ genere exiſtit.* Non eſt credibile, Miniſtros partis

tis Calvinianæ ex his intelligere per confeſſionem actionem pœnitentiæ. Non enim appellat S. Gregorius ἐξομολόγησιν, ſed ὁμολογίαν, & ἐξαγόρευσιν, quæ apud omnes Autores ſimplicem peccatorum confeſſionem ſeu declarationem ſignificant; neutiquam vero actionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionem.

IV. S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis Eccleſiam illuſtravit anno Chriſti circiter CCCLXXX. Refert S. Hieronymus libro de Scriptoribus eccleſiaſticis, caſtitate & eloquentia, tam vita quam ſermone clarum extitiſſe, contra Novatianos ſcripſiſſe, & ſub Theodoſio Principe jam ultima ſenectute mortuum eſſe. Pauca opera poſteris reliquit: ſed inter eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta multa commendatione digna, & cum præſertim adverſus hæreſim Novatianorum ſcripſerit, materiæ de pœnitentia quam tractamus, efformandæ valde conducibilia. Revera nullos puto inventum iri faciliter Scriptores eccleſiaſticos, qui magis conceptis verbis confeſſionem peccatorum explicuerint, atque ab aliis actibus pœnitentiæ, ad quos nomen *exomologeſis* jam tranſlatum fuerat, elegantius diſtinxerint. Id enim luce meridiana clarius patet in Parænesi ſive Exhortatione ad pœnitentiam: in qua potiſſime

Digitized by Google

carpit peccatores qui ſuis ſceleribus ac conſcientiæ arcanis Sacerdotibus detectis, remedia ſibi obiata repudiabant, aut actus alios pœnitentiæ neſciebant. *Tertio*, inquit, *de his erit ſermo, qui confeſſis bene apertiſque criminibus, remedia pœnitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ aut neſciunt, aut recuſant.* At vero quis ſibi perſuadeat, eo loci Pacianum ſpectare ſolum manifeſta peccata; de quibus diceret quidem *confeſſis*, ſed non bene *apertiſque criminibus*: quod ſolis peccatis occultis congruit, & ex quo intelligimus, occulta crimina fuiſſe confeſſionis ope Sacerdotibus aperta. Quod inſuper perſpectum habemus ex comparatione quam profert inter peccata & vulnera obſcœnis & reconditis humani corporis partibus inflicta. *Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo, meo per illum Dominum quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos.*

V. Sed hanc non ſoli Deo factam fuiſſe confeſſionem, verum etiam Sacerdotibus, nos docet eadem Paræneſi ad pœnitentiam: quippe cum hac facta comparatione continuo ſermone exclamet: *Quid ergo faciam*

nunc Sacerdos, qui curare compellor? & mirifice comprobet adverſus Novatianos, Epiſtola I. ad Sympronianum, poteſtatem ſolvendi ac retinendi peccata a Chriſto Domino Sacerdotibus relictam. Tomo I. Bibliothecæ Patrum pag. 235. & 236. lit. L. F. editionis Colonienſis MDCXVIII. *Numquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit; verum eſt: ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt.*

VI. Conſtat etiam, S. Pacianum non ad quædam capitalia & atrociora ſcelera tantummodo reſpicere, ſcilicet idololatriam, mœchiam & homicidium, quibus pœnas veteres canones præſcripſerant, ſed ad omnia generaliter peccata lethalia. Vult enim non ſolum capitalia & atrociora, ſed mortalia omnia peccata confeſſione expiari, quorum veniam ſeu remiſſionem in Eccleſiæ poteſtate poſitam recuſabant Novatiani, uti patet ex initio Epiſtolæ III. ad Sympronianum. *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, Semproniane frater, hoc continet: quod poſt Baptiſmum pœnitere non liceat, quod mortale peccatum Eccleſia condonare non poſſit, immo quod ipſa pereat recipiendo peccantes.* Et ex

continenti ſermone ejuſdem Epiſtolæ pagin. 241. lit. G. quo rem objectam a Novatianis diluit : *Poſt hæc proponis & dicis ſcriptum eſſe per Dominum : Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus ; qui autem in Spiritum ſanctum peccaverit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro. Aut ego fallor, aut iſtud exemplum contra te valet. Nam ſi omne peccatum & blaſphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari : ergo omne peccatum, ergo ipſa quoque blaſphemia.*

VII. Hæc omnia planiſſime demonſtrant, quam inſulſum & intolerabile ſit conſilium Dallæi lib. III. de Confeſſione auriculari capite 13. dum ait de Sancto Paciano : *Nimirum eos reprehendit, qui quæ publica pœnitentia digna geſſerant, ea Eccleſiæ Præſides celabant, & iis ignota, vel partim tantum cognita clam habebant. Vnde liquet, ut hoc obiter dicam, non omnes tum fideles peccata ſua Sacerdotibus in aurem omnia confiteri ſolitos.* Enimvero incogitabile eſt, hanc in Dallæi mentem incurriſſe concluſionem, niſi anticipata opinione occupatus, uſu receptam fuiſſe pro peccatis occultis pœnitentiam publicam repudiaſſet. Quam quidem opinionem non confregiſſe S. Pacianum, vix credibile eſt ea adhortatione, qua peccatores eadem Pa-

rænesi ad pœnitentiam, compellit ad declarationem & enunciationem peccatorum dubio procul arcanorum: (quippe cum manifeſta, declaratione non indigeant, ſed abundanter cognita ſint) *Quid facis tu qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis?* Et inſuper juſta comparatione quam facit inter peccata, & arcana partium corporis reconditarum vulnera.

VIII. Hanc S. Paciani doctrinam de confeſſione docebat in Oriente eodem fere tempore S. Gregorius Nyſſenus, qui quidem facta enumeratione ſacrorum rituum, quibus Eccleſia uti ſueverat, confeſſionem ad Baptiſmum, & obſervationem mandatorum Dei aggregat, Oratione decima contra Eunomium, pag. 277. editionis Pariſ. Claudii Morelli anni MDCXV. lit. B. *Si enim venerandorum & honorabilium nominum ſanctæ Trinitatis confeſſio eſt inutilis, inutiles etiam ſunt Eccleſiæ ritus: in his autem ritibus eſt ſigillum, deprecatio, Baptiſma,* PECCATORUM DECLARATIO, *ad mandata promptitudo, morum emendatio, temperanter & ſobrie vivere, & ad id quod juſtum eſt reſpicere, cupiditatibus non aſſueſcere, neque a voluptate vinci, neque a virtute deficere.* ἐν δὲ τοῖς ἔθεσι τυ-

τοῖς ὅσιν, ἡ σφραγὶς, ἡ προσευχὴ, τὸ βάπτισμα, ἡ τῶν ἁμαρτιῶν ἐξαγόρευσις, &c. Valde inſulſum eſſet ſibi perſuadere, ejuſmodi declarationem ſoli Deo factam fuiſſe, prætermiſſis Sacerdotibus; aut ea ſolum peccata manifeſta enunciata fuiſſe, quibus pœnitentia publica canonibus præſcripta fuerat. Nam ipſe S. Gregorius Nyſſenus conceptis verbis atteſtatur, factam fuiſſe Sacerdotibus, & explicata fuiſſe peccata latentia furti & avaritiæ, quibus, ut ipſemet obſervat Gregorius, pœnæ præſcriptæ non fuerant a canonibus. Lege igitur hanc Epiſtolam ad Letoium Epiſcopum Melitines, Tom. 11. pag. 954. lit. A. & B. *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat, ſi deinde per declarationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.* ὁ δὲ δι' ἀφαιρέσεως λανθανούσης σφετεριζόμενος τὸ ἀλλότριον, εἶτα δι' ἐξαγορεύσεως τὸ πλημμέλημα ἑαυτοῦ τῷ ἱερεῖ φανερώσας, τῇ περὶ τὸ ἐναντίον τοῦ πάθους σπουδῇ θεραπεύσει τὴν ἀῤῥωστίαν. Idem intelligimus ex Homilia *in eos qui alios acerbe judicant*, pag. 969. lit. B. qua fiduciam habendam Sacerdoti commendat. *Quamobrem major tibi in eo fiducia ſit, qui te in Deo genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es. Audacter oſtende illi quæ ſunt recondita: animi*

Digitized by Google

arcana tanquam occulta vulnera medico retege ; ipſe & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit. περὶ σωματικῶν πατέρων θάῤῥησον τῷ κατὰ Θεόν σε γεννήσαντι. δεῖξον αὐτῷ ἀνερυθριάστως τὰ κεκρυμμένα γύμνωσον τὰ τῆς ψυχῆς ἀπόῤῥητα, ὡς ἰατρῷ πάθος δεικνύων κεκαλυμμένον· αὐτὸς ἐπιμελήσεται καὶ τῆς εὐσχημοσύνης, καὶ τῆς θεραπείας.

Inſolenti effugio ab ejuſmodi objectione ſe liberat Dallæus lib. III. de Confeſſione cap. 12. pag. 245. *Ego vero*, inquit, *nego eum cauſam adverſariorum juvare : non enim quemvis fidelem alloquitur, ſed eum cui pœnitentia ſive exomologeſis publica ex illius ævi canonibus opus erat.* Enimvero ſi Dallæo credimus toto libro de Confeſſione, olim pœnitentia publica expiabantur ſolitaria peccata publica. Hic vero S. Gregorius Nyſſenus econtra occulta peccata ſpectat : *Quæ ſunt recondita animi arcana, tamquam occulta vulnera medico retege.* Præterea Epiſtola ad Letoium eam tractat pœnitentiæ ſpeciem, qua peccata a canonibus antiquis prætermiſſa expiabantur, ſive quibus nullæ pœnæ antiquis legibus præſcriptæ fuerant. Lege pag. 953. *Altera autem idololatriæ ſpecies :* (ſcilicet avaritia) *ſic enim divinus Apoſtolus avaritiam appellat ; neſcio quomodo abſque ulla pœnæ medela a Pa-*

Digitized by Google

tribus prætermiſſa ſit. Igitur inſulſe prorſus ac perperam hac effugere ſe poſſe putat Dallæus: ex his enim luce meridiana clarius conſtat, ætate S. Gregorii Nyſſeni omnia peccata mortalia indiſcriminatim fuiſſe ad procurandam remiſſionem, confeſſioni Sacerdotibus faciendæ obnoxia; ſive eis pœnas publicas veteres canones præſcripſerint, ſive prætermiſerint.

IX. Quæ cum ita ſint, uſque ad articulorum fragorem non poſſum cohibere admirationem, dum libro IV. de Confeſſione, capite 23. hunc locum S. Gregorii Nyſſeni profert Dallæus, ut lege confeſſionis Sacerdotibus faciendæ peccata mortalia avaritiæ & furti ſolvat ac liberet. His potiſſimum nititur S. Gregorii verbis ex eadem Epiſtola ad Letoium pag. 953. *Et tamen hæc morbi ſpecies inconſiderata & abſque ulla ejus cura prætermiſſa eſt.* Et paulo inferius continuo ſermone: *Sed de iis, quoniam id a Patribus prætermiſſum eſt, ſufficere exiſtimo, publica doctrinæ ratione ea, quomodo fieri poteſt, curare, veluti quoſdam morbos ex repletione ortos, inexplebilis avaritiæ affectiones oratione purgantes.* καὶ ὅμως τὸ τοιοῦτον εἶδος παρεώφθη τῆς νόσου ἀνεπίσκεπτόν τε καὶ ἀτημέλητον. . . . .
ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων, διὰ τὸ παρεῖσθαι τοῖς

πατέρων ἡμῶν, ἀρκεῖν ἡγούμεθα τῷ δημοσίῳ τῆς διδασκαλίας λόγῳ, ὅπως ἂν οἷόν τε ᾖ, θεραπεύειν, ὥσπερ τινὰ πάθη πληθωρικὰ, τὰς πλεονεκτικὰς ἀῤ-ῥωστίας διὰ τοῦ λόγου καθαίροντες. Ex his non ſine emphaſi concludit, confeſſionem auricularem ejuſmodi peccatorum lethalium veniæ procurandæ inutilem fuiſſe, & ait: *Locus palmarius, qui totum confeſſionis Innocentianæ myſterium, illo ſæculo (id eſt, quarto pæne præcipiti) Eccleſiæ Chriſtianæ adhuc incognitum fuiſſe, plane liquidoque demonſtrat.*

Sed incredibiliter animo fallitur Dallæus. Enimvero S. Gregorius Nyſſenus neutiquam exiſtimavit, iſtiuſmodi lethalium peccatorum reos lege confeſſionis eſſe liberos. Æquabili enim ratiocinatione conſequeretur, omni reſipiſcentia ac pœnitentia immunes ac ſolutos reliquiſſe: quod inſulſum & improbabile eſt; & tamen ab inſtitutis veritatis non alienum videretur, ſi hæ voces, ἀρκεῖν, *ſufficere*, ἀνεπίσκεπτον, *inconſideratum*, & ἀτημέλητον, *prætermiſſum*, ſummo jure & rigide acciperentur. Igitur ab ejuſmodi figmento alieniſſimus Gregorii Nyſſeni animus fuit: at tantummodo recognovit, Eccleſiam veterem ſuis canonibus pœnas ejuſmodi peccatis non impoſuiſſe, ſeu exomologeſis actionem ac ſatisfactionis normam non direxiſſe,

Digitized by Google

quemadmodum idololatriæ, mœchiæ & homicidio; ſed ea oratione, eleemoſyna, aliiſque virtutis actibus, poſt peractam confeſſionem ſeu ἐξαγόρευσιν, in Sacerdotum poteſtate purganda atque delenda reliquiſſe. Hæc autem liquido conſtant ex continuis ejuſdem Epiſtolæ ad Letoium conceptis verbis jam citatis ex pag. 954. numero VIII. quæ toto de Confeſſione opere Dallæus aciem oculorum fortaſſe perſtringentia nimis inconſiderata & prætermiſſa reliquit. *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat, ſi deinde per declarationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium mutato, ægritudinem curabit.* Supervacaneum eſſet ex his verbis, *ſi deinde per declarationem peccatum Sacerdoti aperuerit*, concludere, neceſſitatem confeſſionis impoſitam non fuiſſe, ſed ſpontaneam ac liberam ſemper fuiſſe. Enimvero hæc particula *ſi* in Græco textu non incurrit; & hæ voces, εἶτα δὲ ἐξαγορεύσεως τὸ πλημμέλημα ἑαυτοῦ τῷ ἱερεῖ φανερώσας, melius his Latinis redderentur: *Deinde per declarationem peccatum ſuum Sacerdoti aperiens, ſtudio in contrarium paſſionis curabit ægritudinem.* τῇ πρὸς τὸ ἐναντίον τοῦ πάθους σπουδῇ θεραπεύσει τὴν ἀῤῥωστίαν. Particula *ſi* Græce ſemper redditur per εἰ, ἐὰν, εἴπερ, ἐπειδὰν, quæ hic non occurrunt.

Verum hic prætermittere non expedit, ex Proteſtantibus Scriptoribus homines non indoctos, Abrahamum Scultetum Medullæ Patrum pag. 889. & 968. & Andream Rivetum libri III. Critici ſacri capite 24. pag. 325. & 326. hanc Epiſtolam S. Gregorii ad Letoium in falſi ſuſpicione poſuiſſe; ſed perperam & inſulſe, cum eam tanto Doctori adſcribere non abnuant ipſe Dallæus toto opere de Confeſſione, præſertim libri III. capite 12. & Hugo Grotius libri II. de Jure belli & pacis capite 19. pag. 311. dubio procul adducti teſtimonio Græcorum, qui diu ante Balſamonem & Beſſarionem Eccleſiam illuſtrarant, qui ad hanc Epiſtolam reſpexiſſe videntur canone II. Concilii Conſtantinopolitani in Trullo celebrati anno Chriſti DCXCII. ſub Imperio Juſtiniani Imperatoris, dum aiunt: ἐπισφραγίζομεν δὲ καὶ τοὺς λοιποὺς πάντας ἱεροὺς κανόνας τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων ἡμῶν ἐκτεθέντας, τουτέστι τῶν τε ἐν Νικαίᾳ συναθροισθέντων τιη´ θεοφόρων ἁγίων πατέρων, &c. . . . ἀλλὰ μὴν καὶ Γρηγορίου ἐπισκόπου Νύσσης. *Obſignamus vero & reliquos omnes canones compoſitos a ſanctis & beatis Patribus noſtris, hoc eſt, in Nicæa congregatis* CCCXVIII. *ſanctis & deiferis Patribus*, &c. . . . *ſed & Gregorii Epiſcopi Nyſſæ.*

CAPUT X.

Aſſumitur argumentum ex inſtitutione & abdicatione Presbyteri Pœnitentiarii tempore Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitani facta, ad comprobandum ex antiqua rerum eccleſiaſticarum memoria, uſu receptam fuiſſe confeſſionem auricularem.

I. FATENTUR libenter omnes Theologi, nulla ſpeciali lege ſancitum ac conſtitutum fuiſſe publice aut ſecreto facere peccatorum confeſſionem. Revera S. Leo Papa I. ut ex continua hujus Operis ſerie perſpectum erit, publicæ confeſſionis uſum ſua ætate in Eccleſia alicubi receptum, uti periculoſum improbavit: & quamvis ea fidelibus non interdixerit, ſaltem ne exigerent Sacerdotes, vetavit, nullaque lege promulgata, ſufficere confeſſionem ſecretam ad obtinendam peccatorum veniam declaravit. Porro ex his intelligimus, a lege confeſſionis neminem hominem eximi, ſed publice aut occulte ei obtemperare licitum ac liberum eſſe pœnitentibus, licet Sacerdotibus publicam exigere ſit prohibitum.

Digitized by Google

Enimvero inficiari non poſſumus, primulum videri aliquando coram ſenatu Cleri, tempore S. Irenæi, Tertulliani & Cypriani, peccata renunciata fuiſſe etiam occulta, & coram ipſa plebe Chriſtiana, ætate Origenis. Nam alienus ab his inſtitutis ſenſus conceptis verbis Origenis induci non poteſt Homilia II. in Pſal. XXXVII. explicantis hunc ſacri textus locum: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt. Si ergo* (ait de homine reſipiſcente & Deum propitiante) *hujuſmodi homo memor delicti ſui, confiteatur quæ commiſit, & humana confuſione parvipendat eos qui exprobrant eum confitentem, & notant, vel irrident; ille autem intelligens per hoc ſibi veniam dari, &c. Si ergo ſit aliquis ita fidelis, ut ſi quid conſcius ſit ſibi, procedat in medium, & ipſe ſui accuſator exiſtat: hi autem qui futurum Dei judicium non metuunt, hæc audientes cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum ſcandalizantibus non urantur, cum lapſis non jaceant; ſed dicant: Longe te fac a me, neque accedas ad me, quoniam mundus ſum; & deteſtari incipiant eum quem ante admirabantur, & ab amicitiis recedant ejus qui delictum ſuum noluit occultare: ſuper his ergo conſequenter dicit qui exomologeſim, hoc eſt, confeſſionem facit.* Sed hujuſce confeſ-

Digitized by Google

ſionis publicæ conditiones vehementius continuo ſermone amplificat, quem hic repetere tædio eſſet, abundanter ſupra expoſitum capite v. quo patet, conſilio Preſbyteri peccata ſibi occulte renunciata ponderantis & prudenter diſcutientis, modo recondita permanſiſſe, modo palam evulgata fuiſſe.

II. Sed confeſſionis peccatorum lethalium occultorum uſum receptum in Eccleſia inviƈtiſſime confirmat hiſtoria rerum geſtarum ſuper negotio Pœnitentiarii Conſtantinopolitani, de cujus inſtitutione primo, deinde de abdicatione diƈturi ſumus. Confido enim libenter, omnes Doƈtos ex his bene ſapienterque reputatis faciliter conviƈtum iri, eſſentiam ſeu ſubſtantiam confeſſionis auricularis ſartam teƈtamque continuo permanſiſſe. Ipſe Calvinus rotunde fatetur, iſtiuſmodi confeſſionis uſum perantiquum eſſe. Inſtitutionis libro III. cap. 4. numero 6. pag. 217. *Cujus* (ait, ſcilicet confeſſionis) *equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur.* At vero integram hujuſce Pœnitentiarii hiſtoriam ex Socrate Scholaſtico intelligimus, quam ipſemet acceptam refert Eudemoni teſti oculato & omni exceptione majori, qui abdicandi pœnitentiarum Præfeƈti Neƈtario autor fuerat. *Hæc ego* (inquit Socrates libro

Digitized by Google

v. Hiſtoriæ capite 19.) *cum ab Eudemone acceperim, Hiſtoriæ huic inſerere minime dubitavi. Poſtquam Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxiſſent, eo quod cum illis qui perſecutione Deciana lapſi fuerant, communicare noluiſſent, ex illo tempore Epiſcopi pœnitentiarium Presbyterum albo eccleſiaſtico adjecerunt, ut qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent, coram Presbytero ad eam rem conſtituto delicta ſua confiterentur.* Eccum videre licet Preſbyterum Conſtantinopoli ad audiendas confeſſiones præfectum. Revera nominatim non explicat Socrates, an ejuſmodi confeſſione arcana, vel manifeſta tantum peccata enunciarentur: generatim ait, *delicta ſua confiterentur.* Sed dubitandum non eſt, hujuſce Pœnitentiarii inſtitutione ſeu creatione primulum inſtitutam non fuiſſe confeſſionem, quam Sacerdotibus & Preſbyteris antea fieri ſolitam abundanter demonſtravimus; & tam perſpicua eſt apud Sozomenum libro VII. Hiſtoriæ cap. 16. ut nulla res infirmare poſſit, dum ait, *in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oportere*, & aſceſim confeſſionis & pœnitentiæ faciendæ *Epiſcopos urbis Romæ jam inde ab ultima vetuſtate ad noſtram uſque ætatem cuſtodiiſſe.* Revera patet, ante inſtitutionem Pœnitentiarii confeſſionem peccatorum arcanorum publi-

cam fuiſſe : quippe cum tam ſeveræ diſciplinæ cauſa abrogandæ procreatum fuiſſe referat Sozomenus hominem ſingulari prudentia ac taciturnitate exornatum. *Grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſt Sacerdotibus , id eſt, Epiſcopis , tamquam in theatro circumſtante totius Eccleſiæ multitudine , crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate ac prudentia polleret , huic officio præfecerunt: ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto quid aut facere ſingulos , aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes a ſeipſis pœnas criminum exacturos.* Quæ accurate congruunt cum iis quæ ex Origenis Homilia II. in Pſalmum XXXVII. capite v. retulimus. At vero decidentibus moribus, quos ſemper alia tempora alios poſtulant, hujuſce pœnitentiarii Preſbyteri temeritas ſeu inconſideratio abdicationi locum dedit Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano , ſarta tectaque manente confeſſionis peccatorum, quæ antea Epiſcopis fieri ſolebat, diſciplina. Hæc autem ſic refert Socrates libro v. capite 19. *Homoouſiani vero qui nunc Eccleſias obtinent, cum hoc inſtitutum diu retinuiſſent,* (ſcilicet Pœnitentiarii) *tandem*

Necta-

Nectarii Epiſcopi temporibus abrogarunt ob facinus quoddam quod in Eccleſia commiſſum fuerat. Mulier quædam nobilis ad pœnitentiarium Preſbyterum accedens, delicta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat. Presbyter vero præcipit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcilicet una cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ conveniens oſtenderet. Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ videlicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cum dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt: populus vero graviter commoveri cœpit. Neque enim ſolum ob ſcelus quod patratum fuerat, indignabantur, verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto adſperſa videbatur Eccleſiæ. Cum igitur eam ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Eccleſiæ Presbyter, Alexandria oriundus, Epiſcopo Nectario ſuaſit, ut pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſineret accedere: neque enim aliter fieri poſſe., ut Eccleſia ab omni probro libera eſſet. Idem fere refert conceptis verbis Sozomenus libro VII. Hiſtoriæ capite 16. pag. 727. *Donec matrona quædam nobilis ob peccata*

Digitized by Google

quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc Presbytero jejunare, ac Deum ſuppliciter orare, dum hujus rei cauſa in Eccleſia moraretur, a Diacono ſe ſtupratam prodidit: quo cognito plebs omnis vehementer ſuccenſuit, eo quod contumelia illata eſſet Eccleſiæ: nec mediocri probro expoſiti erant ſacri ordinis viri. Nectarius vero cum diu multumque dubitaſſet, quidnam in hoc negotio agendum eſſet, eum qui ſtuprum admiſerat, a Diaconatu exuit. Cumque nonnulli conſilium ei dediſſent, ut unicuique prout ſibi conſcius eſſet, ac fiduciam ſui haberet, ad ſacrorum myſteriorum communionem accedendi liberam faceret poteſtatem, Presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac ſtabile permanſit, vetuſtate eique adjuncta gravitate ac ſeveritate jam tum, ut opinor, in laxam ac diſſolutam vivendi rationem paulatim delapſa. Nam antea, ut equidem exiſtimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui ſua ipſi delicta annunciabant, tum ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti. Jam vero ſi ejuſmodi narrationes attenta cogitatione reputemus, ex iis colligere neceſſe eſt, 1. Peccata quæ confeſſionis ope renunciabantur Pœnitentiario, fuiſſe occulta ſeu ſecreta. Non enim probabile eſt, peccatum hujuſce mulieris quæ

confeſſa eſt ſtuprum ſibi illatum, fuiſſe publicum: niſi enim ignotum fuiſſet, in tantam plebis offenſionem non cecidiſſet. Hoc etiam patet ex conceptis verbis Sozomeni: *A Diacono ſe ſtupratam prodidit.* ἐκπεπορνεῦσθαι παρ' ἀνδρὸς διακόνου κατεμήνυσεν. Quid eſt enim, prodere, niſi rem occultam atque intus latitantem reſerare? 2. Non ſolum quædam capitalia ſcelera confeſſione explicabantur, ſed ſigillatim omnia poſt Baptiſmum commiſſa: quis enim aliud intelligat ex hiſtoria hujuſce vitiatæ mulieris a Diacono, quæ *delicta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat,* ut refert Socrates lib. v. cap. 19. ἣ κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, ἃς ἐπεπράξει μετὰ τὸ βάπτισμα. 3. Conſtat, publicam fuiſſe hujuſce mulieris confeſſionem, ſive talem ſponte peregerit, ſive conſilio aut juſſu Pœnitentiarii ſibi præſcriptam: confeſſio enim ſecreta non adeo Eccleſiam miſcuiſſet, aut offenſioni fuiſſet. 4. Pœnitentiarius pro aliis peccatis præter crimen ſtupri, quæ confeſſione renunciaverat hæc mulier, publicam pœnitentiam impoſuerat. Hoc enim intelligitur ex Socratis verbis: *Presbyter vero præcipit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret, quo ſcilicet una cum delictorum confeſſione opus etiam pœniten-*

Digitized by Google

tiæ conveniens oſtenderet. ἵνα σὺν τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ἔργον τι δεικνύειν ἔχῃ τῆς μετανοίας ἄξιον. Opus enim conveniens pœnitentiæ abſconditæ ſeu occultæ non oſtenditur. Valde autem probabile eſt, reliqua hujuſce mulieris peccata fuiſſe arcana ac recondita, quæ uſque in præſentem diem nemini homini cognita ſunt; atque exinde manifeſte conſequitur, eo tempore uſu receptam fuiſſe diſciplinam imponendæ pœnitentiæ publicæ pro peccatis ſecretis. Porro his ita ſubjectis, cum nec dubitandi locus relinquatur, quin ex ſcandalo ſeu offenſione plurium exorta ex hac confeſſione publica, abrogandi Pœnitentiarii conſilium ceperit Nectarius, cujus exemplo plures Orientis Epiſcopi inſtigati ſunt: tria jam examinanda nobis reſtant. 1. An abdicato Pœnitentiario ſecreta confeſſio abdicata ſit. 2. An publica ſolum confeſſio peccatorum occultorum. 3. An pœnitentia publica, quæ reconditis peccatoribus imponi ſueverat. Dubitandum enim non eſt, quin Eccleſiæ catholicæ ſemper fuerit in eadem ſententia faciendæ pœnitentiæ publicæ pro peccatis publicis perpetua permanſio.

III. Contendit Calvinus libro III. Inſtitutionis cap. 4. numer. 7. pag. 218. Nectarium confeſſionem auricularem ſeu ſecre-

Digitized by Google

tam penitus abrogaſſe. *Ob id facinus*, inquit, *Nectarius, vir & ſanctitate & eruditione clarus, illius Eccleſiæ Epiſcopus, confitendi ritum abrogavit. Hic aures aſini iſti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſſet Nectarius, eam refigere ac convellere?* Wolfgangus Muſculus inter primipilos Germaniæ Proteſtantes celebris, qui obiit anno MDLXIII. ab opinione Calvini non recedit: quippe cum hunc titulum capiti quo Sozomenus hanc hiſtoriam refert, dedita opera inſcripſerit, *Quomodo privata peccatorum confeſſio ſublata ſit Conſtantinopoli*: auſus eo loci & infinitis aliis inſolenti verſione Græci textus ſinceritatem temerare in editione nova Hiſtoriæ Sozomeni, ad quam incubuit anno MDLVII. & quam Eduardo VI. Anglorum Regi dicavit. Enimvero de hiſce Græcis vocibus: ὅπως καὶ δι' ἣν αἰτίαν ἀνεπαύθη ὁ ἐν ἐκκλησίᾳ τῶν μετανοούντων πρεσβύτερος. Latine ſcribendum erat non deterius: *Quomodo & ob quam cauſam ſublatus eſt in Eccleſia Presbyter, qui pœnitentibus præerat.*

Petrus Molinæus Calvinianæ partis Miniſter ſatyricus, ad eamdem opinionem tuendam voluntatem aggregavit libro I. de Pœnitentia & Clavibus pag. 35. Sedani impreſſo anno MDCLII.

Digitized by Google

In hos igitur ac plures alios ejuſdem opinionis defenſores transferre juvat hanc exprobrationem Calvini : *Hic aures aſini iſti arrigant.* Nam Dallæus eorum opinionem aperto Marte frangit, totiſque viribus defendit, confeſſionem auricularem a Nectario non fuiſſe abrogatam. *Vltro enim Petavio, cæteriſque adverſariis,* inquit lib. IV. de Confeſſione capite 24. pag. 463. *id quod magnopere cupiunt, concedimus, non fuiſſe Innocentianam, ſive, ut ipſi vocant, ſacramentalem vel auricularem confeſſionem a Nectario abrogatam, & e noſtris qui id contenderunt, hallucinatos fuiſſe confitemur.* Porro ad ejuſmodi ſententiam adductus eſt Dallæus ex opinione anticipata, qua mentem occupavit, ſcilicet numquam ab Eccleſia catholica uſu receptam fuiſſe confeſſionem peccatorum occultorum. *Quæſo enim,* ait continuo ſermone, *qui a Nectario abrogari potuit, quæ nuſquam vel a Patribus vetuſtioribus ulla lege inſtituta, vel apud Fideles illorum temporum uſitata fuiſſe deprehenditur : immo quæ ne multis quidem poſt Nectarium ſæculis cognita, octingentis demum poſt ejus Epiſcopatum annis, ſub Innocentio III. Romæ Pontifice nata eſt?* Non ſol a terra magis diſtat, quam in hoc negotio Dallæus a Calvino, qui rotunde fatetur, ut jam ob-
Digitized by Google

ſervavimus, *uſum confeſſionis vetuſtiſſimum eſſe*. Jam vero ad conſcientiam ipſorum hominum Proteſtantium appello. Non enim eruditos homines ex eorum ſocietate inventum iri ſpero, quin ex hac lucubratione faciliter judicent, & ante & poſt abdicationem Pœnitentiarii, conſtantem & incorruptum confeſſionis lethalium peccatorum occultorum uſum & aſceſim permanſiſſe.

Jam vero quis pœnitentiam publicam pro peccatis occultis ex hac Pœnitentiarii abdicatione abrogatam perſpiciat? Cum enim Dallæus eam ita ut confeſſionem auricularem, numquam uſu receptam fuiſſe exiſtimet, abrogationi obnoxiam non poteſt reputare. Verumtamen cum eam in Eccleſia conſtitiſſe inviƈtiſſime capitibus II. & III. hujuſce libri demonſtraverim, & ante, & poſt Pœnitentiarii abdicationem, cum doƈtiſſimis antiquitatis eccleſiaſticæ teſtibus omni exceptione majoribus, Cardinali Groppero, *de diſciplina Eccleſiaſtica*, pag. 226. editionis Lugdunenſis anni MDLXVI. Dionyſio Petavio Jeſuita, Antonio Arnaldo Doƈtore Sorbonico, & Joanne Morino Congregationis Oratorii Preſbytero; neminem hominem puto fore inter Proteſtantium partium & Catholicarum Theologos, quin opinioni noſtræ jam

Digitized by Google

faciliter annuat. Solitaria igitur ſupereſt peccatorum arcanorum confeſſio publica, quæ cum Pœnitentiario Conſtantinopolitano abrogata ſit, quæ in horribilem Chriſtianæ plebis offenſionem venerat occaſione vitiatæ a Diacono mulieris, quæ abdicandò pœnitentiarum Præfecto locum dederat. Porro nullus dubitandi locus relinquitur, quin iſta publice confitendi diſciplina, ſarta tectaque manente ſubſtantia confeſſionis auricularis, penitus abrogari potuerit; & ita ſe rem habuiſſe, non ſolum probabile, verum etiam credibile eſt. Res enim & leges quæ mores ac diſciplinam ſpectant, mutationi obnoxiæ ſunt, cum econtra fidei capita ſemper immota & immobilia conſiſtant.

IV. At inquiunt: Conſilium Nectarii in hac abdicatione fuit, ut quiſque pro arbitrio & animi ſui conſcientia ad Euchariſtiam accederet: quod quidem ſine generali abrogatione omnis confeſſionis intelligi non poteſt. Hoc enim patet ex verbis Socratis: *Eudæmon quidam Eccleſiæ Presbyter, Alexandria oriundus, Epiſcopo Nectario ſuaſit, ut pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſineret accedere.* Idem fere habet Sozomenus:

Digitized by Google

Cumque nonnulli conſilium ei dediſſent, ut unicuique prout ſibi conſcius eſſet, ac fiduciam ſui haberet, ad ſacrorum myſteriorum communionem accedendi liberam faceret poteſtatem, Presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit. Sed hæc nihil aliud ſignificant, niſi datum ei eſſe conſilium, ut res pœnitentiæ in priſtinum ſtatum reſtitueret, ſeu unuſquiſque ſolutus jugo Pœnitentiarii occaſione hæreſis Novatianæ inſtituti, conſulto ſuo Epiſcopo, ut antea moris erat, eique denunciatis peccatis, ad Euchariſtiam accederet. Cum vero continenti tempore ejuſmodi peccatorum occultorum publica declaratio magnum non ſolum Eccleſiæ, ſed & reipublicæ intertrimentum adferre videretur, ſarta tectaque manente confeſſione peccatorum ſecreta, lege aut conſuetudine confeſſionis publicæ pœnitentes ſoluti ſunt. Hæc autem intelligere non erit difficile ex ſequentibus hujuſce lucubrationis capitibus XII. XIV. & XVII. quibus S. Chryſoſtomum, S. Auguſtinum & S. Leonem explicabimus.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Explicatur S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis.

I. OMNES homines eruditi rotunde fatentur, libros de Pœnitentia adverſus Novatianos ſcripſiſſe S. Ambroſium, atque iis tuendam recepiſſe cauſam autoritatis Eccleſiæ ad procurandam veniam ſeu remiſſionem peccatorum. Ea quippe de cauſa fœtorem hæreſis, quo inquinabantur, conceptis verbis exprobrat lib. 11. capite 7. *Nam & vos indignamini, & contra Eccleſiam congregatis concilium: qui videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari.* Et ejuſdem libri capite 9. diſerte docet, quomodo ſubeundus ſit Sacerdotalis poteſtatis uſus ad comparandam remiſſionem peccati. *Nonnulli*, inquit, *ideo poſcunt pænitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere re cupiunt, quam Sacerdotem ligare.*

His vero ſubjectis, recognoſcere neceſſe eſt, tempore S. Ambroſii uſu receptam fuiſſe peccatorum ſive occultorum, ſive publi-

corum confeſſionem non ſolum Deo, verum etiam Sacerdoti. Alias enim incogitabilis & inſulſa prorſus ratio ſeu cauſa videretur, qua homines ad ducendam vitam chriſtianam & intaminatam adhortatur & compellit, Opuſculo cum libris de Pœnitentia compacto ſub titulo *Exhortationis ad agendam pœnitentiam*, in quo ſic fatur: *Non ſolum poſt pœnitentiam ab iſtis intus homo obſervare ſe debet, ſed & ante pœnitentiam, dum ſanus eſt; quia neſcit ſi poſſit ipſam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata ſua.*

II. Hujuſce veritatis teſtimonium omni exceptione majus nobis ſuppeditat Paulinus Preſbyter Eccleſiæ Mediolanenſis, qui ſub Epiſcopatu Venerii anno Chriſti circiter CCCCI. rogationi S. Auguſtini non abnuens, poſt mortem Simpliciani ſucceſſoris S. Ambroſii, ejus Vitam ſcripſit. In ea enim ſummis laudibus extollit potiſſime caritatem, qua S. Ambroſius audiendis confeſſionibus pœnitentium præerat, ac prudentem tenacitatem qua ſibi revelata arcana peccata clauſa tenebat. Denique fructus uberes ex recepto confeſſionis uſu percipiendos commendat. *Siquidem*, ait, *quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus*

Digitized by Google

eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret: videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines. Nam & ſecundum Apoſtolum, circa hujuſmodi hominem confirmanda caritas eſt, quia ipſe ſui accuſator eſt, nec expectat accuſatorem, ſed prævenit, ut CONFITENDO *ſuum alleviet ipſe delictum, nec habeat quod adverſarius criminetur. Ideoque Scriptura dicit: Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Vocem enim eripit adverſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſta, peccatorum ſuorum confeſſione confringit, dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris, quam mortem. Nam & ipſi pœnitenti non ſufficit ſola confeſſio, niſi ſubſequatur & emendatio facti, ut pœnitens non faciat pœnitenda.*

III. Igitur comprobandum ſupereſt, omnia generaliter peccata lethalia ejuſmodi confeſſioni, de qua loquitur S. Ambroſius, fuiſſe obnoxia, nulloſque homines tam ſevera lege fuiſſe liberos. Hoc autem extra omnem controverſiæ aleam poſitum vide-

Digitized by Google

bitur, ſi paullo attentius quæ dicit lib. 11. de Pœnitentia cap. 3. auſcultaverimus. *Etenim quotieſcumque ſanguinem Domini ſumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo ſemel pro omnibus immolatus eſt, ita quotieſcumque peccata donantur, corporis ejus ſacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſime Domini prædicatione mandatum eſt etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, ſacramenti cæleſtis refundendam gratiam. Vnde nihil vobis ad excuſationem reſediſſe certum eſt.*

Conſtat apud omnes Chriſtianos, remiſſionem peccatorum epoto ſanguine Chriſti procuratam non ſpectare quædam tantummodo peccata, ſed omnia generaliter cujuſcumque generis ſint ac ſpeciei. *Sicut ergo ſemel pro omnibus immolatus eſt, ita quotieſcumque peccata donantur, corporis ejus ſacramentum ſumimus.* Nec dubitandi locus relinquitur, S. Ambroſium ex hoc dogmate ſanguinem Chriſti pro omnibus effuſum conſtituente collegiſſe, omnes omnis generis peccatores vero ſenſu reſipiſcentiæ affectos & confeſſos debere in corporis Chriſti communionem reſtitui. Cum ergo non dubitaverit, omnis generis peccata ope ſanguinis

Chriſti deleri, eadem exiſtimaſſe confeſſioni generaliter ſubjicienda ante communionem corporis Chriſti neceſſe eſt.

IV. Sed luce meridiana clarius id intelligitur ex capite VI. ejuſdem libri, quo aſſumptis ex Scriptura documentis, explicat S. Ambroſius veram rationem peragendæ pœnitentiæ. Citat enim exſcripta quædam ex capite XXXI. Jeremiæ, & ex XLIII. Iſaiæ, quæ omne genus peccati mortalis & omnes omnino homines reſpiciunt. *Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates, & memor non ero.* Ea vero ſunt peccata, quæ lege divina confeſſionis teneri affirmat. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum. Vides quid a te exigat Deus tuus, ut memor ſis ejus quam accepiſti gratiæ, & non glorieris, quaſi non acceperis. Vides qua remiſſionis pollicitatione te provocet ad confitendum.* Hoc idem ſignificat in eandem ſententiam capite VII. *Timeamus Dominum; præveniamus eum confitendo peccata noſtra.* Supervacaneum eſſet ſibi perſuadere, ibi ſpectare confeſſionem ſoli Deo factam, poſtpoſitis Preſbyteris & miniſtris Eccleſiæ; quippe cum eodem capite dicat adverſus Novatianos: *Nam & vos indignamini, & contra Eccleſiam congregatis concilium:*

qui videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari. Et ejuſdem libri capite x. *An quiſquam ferat, ut erubeſcas Deum rogare, qui non erubeſcis rogare hominem? & pudeat te Deo ſupplicare quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini quem lateas, confiteri?* Et in Exhortatione ad pœnitentiam: *Neſcit ſi poſſit ipſam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata ſua.*

V. Quis dubitet etiam S. Ambroſium omne genus peccati & omnem hominum ſpeciem, omni poſtpoſito diſcrimine, comprehendiſſe, dum ait Epiſtola 111. ad Simplicianum lib. 1. Epiſtolarum: *Quid tam rarum, quam ut invenias virum qui ſeipſum coarguat, & factum condemnet ſuum? Rara itaque confeſſio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi ejus aſſertio.* Fatuumque eſſet ſibi fingere, eo loci mentionem non facere confeſſionis factæ Sacerdotibus: quippe cum de ea continuo ſermone dicat: *Hanc ergo culpam Sacerdotes non auferunt, neque peccatum ejus qui in dolo ſe offert, & adhuc in ſtudio delinquendi eſt.*

VI. Reſpondet Dallæus, hæc omnia non eſſe tuendæ aut probandæ confeſſioni auriculari conducibilia, quæ de exomologeſi ſeu

Digitized by Google

publica confeſſione intelligenda ſunt, pro peccatis tantum manifeſtis fieri ſolita, quæ a confeſſione auriculari ſeu in unius aurem Preſbyteri toto cælo differt. Inſuper addit *, S. Ambroſium eo loci tractare confeſſionem, qua pœnitens veram contritionem veris lacrymis, humili prece, totiuſque corporis abjectione ſignificat. *Plane exomologeſim ſeu ὑπόπ[illegible]ωσιν deſcribit: confeſſionem, fateor, verum publicam, non arcanam; apud Deum & apud Eccleſiam, non apud unum ſacrificulum; in conſpectu ſanctæ plebis, non in aure unius hominis; qua pœnitens & peccata & dolorem contritionemque animi, non verbis inanibus, ſed veris lacrymis, humilique prece & totius corporis abjectione confitetur.*

Sed ejuſmodi reſponſionem invictiſſime confutare non eſt difficile. 1. Ad comprobandam Eccleſiæ Romanæ de confeſſione ſententiam nihil attinet ſubjicere; publicam aut reconditam fuiſſe, ſcilicet uni vel pluribus Sacerdotibus factam fuiſſe. Tantummodo recipit Eccleſia Romana tuendam confeſſionis omnium peccatorum lethalium neceſsitatem omnibus fidelibus poſt Baptiſmum lapſis impoſitam ad obtinendam remiſsionem, ſive uni, ſive pluribus ac frequenti ſenatu Sacerdotibus factam. Recognoſcimus

* *Lib. III. de Conf. cap. II. pag. 242.*

mus enim, tempore S. Ambroſii adhuc in Occidentis quibuſdam partibus publice ſeu coram ſenatu Preſbyterii & Epiſcopi renunciata fuiſſe peccata. Quamobrem incogitabile eſt, Dallæum inſtituta doctrinæ Romanæ tantopere declinaſſe, cum ipſe fateatur, ex his S. Ambroſii locis confeſſionem apud *Deum & Eccleſiam* factam intelligi debere. 2. Quamvis apud Eccleſiam fieret hujuſmodi confeſſio, non conſequitur, nec intelligitur ex locis Patrum, lege præſcripta factam fuiſſe coram univerſa plebe, licet dubitandum non ſit, tempore ſancti Ambroſii ſatisfactionem pro peccatis occultis alicubi palam & in conſpectu omnium peractam fuiſſe. Hoc enim perſpectum habemus ex capite 16. libri 1. de Pœnitentia, capite 11. hujus Operis citato, & a corruptela Dallæi vendicato. *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe pœnitentiam egerit; quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur?* 3. Abſurdum eſt etiam, differentiam confeſſionis antiquæ & hodiernæ conſtituere in eo *quod pœnitens & peccata & dolorem contritionemque animi, non verbis inanibus, ſed veris lacrymis ſignificat.* Omnes enim Theologi cum Concilio Tridentino exiſtimant, contritionem omni tempore fuiſſe ad

obtinendam veniam peccatorum neceſſariam. Solam vero attritionem omni amore Dei ſpoliatam ſufficere, numquam in Eccleſia ſtatutum eſt, etiam cum ſacramento pœnitentiæ. Immo vero confeſſionem inanibus, verbis, & non veris lacrymis, ſaltem interioribus, hoc eſt, ſanioris animi gemitibus, factam, ſupervacaneam & inanem univerſa ſemper Eccleſia catholica reputavit. Quis enim, ſi cerebrum habeat, hanc doctrinam ex Concilio Tridentino non intelligat Seſſione XIV. capite 4. & Seſſione VI. cap. 6. quas hic exſcribere non neceſſe eſt.

VII. Sed objectionem Dallæus proponit libro IV. de Confeſſione capite 33. ſilentio non prætermittendam, aſſumptam ex Commentario S. Ambroſii in Lucam pagin. 1787. lit. A. editionis Pariſ. anni MDLXIX. *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit; invenio quod fleverit. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri, & veniæ fletus conſulunt. Verecundæ lacrymæ ſine horrore culpam loquuntur. Lacrymæ crimen ſine offenſione verecundiæ confitentur. Lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur.* Ex his quippe colligit, lacrymas omnem ſupplere confeſſionem, & S. Ambroſium eam procurandæ veniæ ſupervacaneam exiſtimaſſe.

Digitized by Google

Reſponſio facilis eſt, neminem hominem catholicum unquam ſibi finxiſſe, S. Petro præter lacrymas ac ſenſum veri doloris, quo affectus fuit, impoſitam fuiſſe neceſſitatem confeſſione renunciandorum Sacerdotibus peccatorum, ad comparandam remiſſionem. Nondum enim ſuis Apoſtolis poteſtatem remittendi aut retinendi peccata Chriſtus donaverat, cum Petrus peccavit, & flevit, ex qua lex confeſſionis conſecuta eſt. Igitur hoc exemplum S. Petri flentis & nihil dicentis perperam adducitur. Eadem via diluimus alteram objectionem ex Homilia III. S. Maximi Taurinenſis *de pœnitentia S. Petri* aſſumptam, quæ conceptis verbis ex hoc loco S. Ambroſii exſcripta eſt. Et eo lubentius ei hanc explicationem inducimus, quo ex ipſo Maximo intelligimus Homilia *in natali beatiſſimorum Petri & Pauli Apoſtolorum*, relata Tom. V. Bibliothecæ Patrum pag. 32. edit. Colon. MDCXVIII. hanc poteſtatem remittendorum peccatorum ipſimet Petro & aliis Apoſtolis poſt lacrymarum effuſionem atque intimi doloris teſtificationem, a Chriſto, poſtquam mirabiliter revixit, conceſſam fuiſſe. *Clavis enim cæli lingua eſt Petri, quia ſingulorum merita cenſendo Apoſtolus unicuique regnum cælorum aut claudit aut aperit. Non eſt*

ergo clavis iſta mortalis apta manu, ſed data a Chriſto poteſtas eſt judicandi. Denique ait eis: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt.

VIII. Unicum reſtat Dallæo effugium, ſcilicet ut quædam Opera S. Ambroſii a nobis citata in falſi ſuſpicione ponat. Sed ejuſmodi agendi ratio, haud ſcio an induſtriam dixerim, tam infeliciter procedit, ut ei immorari non opus ſit. 1. Suſpectæ fidei eſſe exiſtimat Autorem Vitæ S. Ambroſii, quam S. Paulino Eraſmus abjudicat. Sed quid tum? modo antiqui ſit Scriptoris, & ex veterum codicum manuſcriptorum fide, extra omnem falſi aleam poſita ſit. Dubitandi de ſinceritate hujus Operis rationem non habuit Eraſmus confeſſioni plus æquo infenſus, præter manifeſtam in gratiam ejus teſtificationem. 2. Exhortationem ad pœnitentiam S. Ambroſio adſcribi ægre fert Dallæus, quam inter Homilias S. Auguſtini L. numero XLI. invenit. Sed quid inde conficere poteſt? niſi fœtum eſſe genuinum, aut S. Ambroſii, aut ſibi æqualis S. Auguſtini, vel denique antiqui Scriptoris eccleſiaſtici: adeoque teſtis confeſſionis peccatorum lethalium apud Sacerdotes faciendæ veteris Eccleſiæ moribus & uſu receptæ, om-

ni exceptione majoris, & fide digniſſimi.

CAPUT XII.

Probatur confeſſionis auricularis uſus, ex S. Ioanne Chryſoſtomo.

AD bene & accurate intelligendam S. Chryſoſtomi de confeſſione peccatorum ſententiam, duo capita inter dogmata ſancti Patris extra omnem controverſiam poſita ſubjicere opus eſt, quibus non ſolum difficultates elevantur, ſed omnes ſalebræ ad inveniendam veritatem ſolo faciliter adæquantur.

I. Inficiari nemo poteſt, ſanctum Chryſoſtomum non dubitaſſe, quin Sacerdotes Chriſtus Dominus ligandi ac ſolvendi animas poteſtate exornaverit, omnino pari & ſimili poteſtati, quæ penes Principes terræ exiſtit, qua corpora ſubditorum vinculis ſolvunt aut coarctant: adeoque rata habeantur in cælis quæcumque ab iis in terris geſta ſint. Hoc enim comprobat aſſumptis ex S. Joannis cap. xx. verbis. *Quorumcumque remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorumcumque reti-*

nueritis, retenta ſunt. Libro III. de Sacerdotio cap. 5. pag. 32. tomo IV. dum ait: *Etenim qui terram incolunt, atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea quæ in cælis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos uſque pervadit: uſque adeo, ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? Quorumcumque enim, ait, peccata remiſeritis, remittuntur eis; & quorumcumque retinueritis, retenta ſunt. Quænam, obſecro, poteſtas hac una major eſſe queat?* Οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν, τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται· ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρα-

τῷ· καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον. οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς· καὶ ἅπερ ἂν ἐργάσωνται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. καὶ τί γὰρ ἀλλ᾽ ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν; ὧν γὰρ δή, φησιν, ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται· καὶ ὧν ἂν κρατῆτε, κεκράτηνται. τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσία μείζων;

II. Certum eſt, S. Chryſoſtomum recognoſcere, Preſbyteros ſeu Sacerdotes tam ſublimi poteſtate præditos, eſſe animarum noſtrarum medicos, ac debere ſcrutari ac penetrare totis viribus intimos cordis noſtri receſſus ac viſcera, uti remedia ſalutaria propinent, & curationibus eorum ſubmiſſi peccatores bonam valetudinem recuperent. Hoc enim conceptis verbis docet libri II. de Sacerdotio cap. 4. pag. 20. *Itaque nihil horum relinquendum eſt, quod probe non excutiat atque examinet Epiſcopus: quin omnia accurate ac ſtudioſe perſcrutatum tum demum illum oportet ſua ipſius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Χρὴ τοίνυν μηδὲν τούτων ἀνεξέταστον ἀφεῖναι· ἀλλὰ πάντα διερευνησάμενον ἀκριβῶς, καταλλήλως τὰ παρ᾽ αὐτοῦ προσάγειν τῷ ἱερωμένον. Et ejuſdem

libri cap. 3. pag. 19. *Quamobrem multa quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi ipſi perſuadeant Sacerdotum curationibus ſeſe ſubmittere oportere: neque id ſolum, ſed ut etiam curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant, &c.* Διὰ τοῦτο πολλῆς χρεία τῆς μηχανῆς, ἵνα πείθωσιν ἑκόντες ἑαυτοὺς ὑπέχειν τὰς παρὰ τῶν ἱερέων θεραπείαις οἱ κάμνοντες, καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλ᾽ ἵνα καὶ χάριν εἰδῶσι τῆς ἰατρείας αὐτοῖς.

Porro ex his ita ſubjectis naturaliter conſequitur, morbos animarum noſtrarum curationibus Sacerdotum ſanabiles, non eſſe ſolum manifeſtos, verum etiam occultos ac reconditos, cum eos ſcrutari accurate teneantur: rerum enim manifeſtarum & ab omnibus cognitarum inveſtigatio futilis & ſupervacanea videretur. Cum autem occulta vulnera tractare medicus nequeat, niſi detecta & aperta ſint; morbos animi Sacerdotibus explicari ac revelari ſincera confeſſione non ſolum opus, verum etiam neceſſe eſt. Ego vero defendo, S. Chryſoſtomum ejuſmodi confeſſionem ſignificare voluiſſe conceptis verbis Homiliæ xxx. in Geneſim pag. 425. & 426. tom. 11. Ἐπειδὴ εἰς τὴν μεγάλην ταύτην ἑβδομάδα ἐφθάσαμεν τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, νῦν μάλιστα καὶ τῆς νηστείας τὸν δρόμον ἐπιτεῖναι, καὶ τὰς δι-

χὰς εὐτονωτέρας ποιεῖσθαι, καὶ πολλὴν καὶ ἀκριβῆ τὴν ἐξομολόγησιν τῶν ἡμαρτημένων ἐπιδείξασθαι. *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confeſſio.*

Contendit Dallæus pluſquam poteſt, libro III. de Confeſſione capite 14. pag. 248. hæc verba confeſſionem auricularem non ſpectare, vocemque *exomologeſis* numquam ſignificare ſigillatim peccatorum declarationem ac revelationem, ſed tantummodo & generatim deteſtationem atque intimum doloris ſenſum. At vero non animadvertit cautus Miniſter, S. Chryſoſtomum continuo ſermone pag. 440. ejuſdem Homiliæ, mentione ſpeciatim facta confeſſionis peccatorum, qua ſuam conſcientiam hebdomada ſancta pœnitentes exonerare ſolebant, eam appellare declarationem, apertionem & detectionem vulnerum medico ad obtinendam ſanitatem. *Scit enim inimicus noſter*, inquit S. Chryſoſtomus, *quod per tempus illud poſſumus de iis quæ ad noſtram ſalutem attinent, loqui, & peccata declarare ſeu aperire, & detegere vulnera medico, & ſanitatem conſequi.* Ἐπειδὴ γὰρ οἶδεν, ὅτι κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον δυνάμεθα περὶ τῶν συνεχόντων ἡμᾶς διαλεχθέν-

τες, καὶ τὰ ἡμαρτημένα ἐξαγορεύοντες, καὶ τὰ τραύματα τῷ ἰατρῷ δείξαντες, πολλῆς ἐπιτυχεῖν τῆς θεραπείας. Conceptis verbis docet S. Chryſoſtomus, exomologeſim fuiſſe expreſſam & accuratam peccatorum occultorum revelationem. Homilia de muliere Samaritana, tomo VI. pag. 421. in qua (poſtquam demonſtravit, peccatum quod confeſſa erat Chriſto Samaritana, fuiſſe occultum ac ſecretum, ut his verbis patet ejuſdem Homiliæ pag. 416. lit. C. & D. καὶ ἤρξατο λοιπὸν ἡ γυνὴ τὰς ἑαυτῆς ἁμαρτίας ἀνακαλύπτειν· ἤρξατο λοιπὸν ἐξομολογεῖσθαι, καὶ λέγειν, οὐκ ἔχω ἄνδρα. *Cæpitque deinceps aperire peccata ſua mulier: cæpit deinceps confiteri, ac dicere, Non habeo virum.*) omnes Fideles eloquenti adhortatione compellit, ne temere peccatorum ſuorum declaratione erubeſcant, aut ignavo timore probri apud homines afficiantur: quoniam peccator qui timore delictum celat, die Domini magno & horribili extremi judicii infanda explebitur contumelia, ſtupentibus Angelis & hominibus. μιμησώμεθα τὴν γυναῖκα ταύτην τὴν Σαμαρεῖτιν καὶ ἡμεῖς, καὶ ἐπὶ τοῖς οἰκείοις ἁμαρτήμασι μὴ αἰσχυνώμεθα, ἀλλὰ φοβώμεθα τὸν Θεόν· νῦν δὲ τὸ ἐναντίον ὁρῶ γινόμενον· τὸν μὲν γὰρ μέλλοντα κρίνειν ἡμᾶς οὐ δεδοίκαμεν· τοὺς δὲ οὐδὲν ἡμᾶς παραβλάπτοντας, τούτους φρίττομεν, καὶ

τὴν παρ' αὐτῶν αἰσχύνην δεδοίκαμεν· διὰ τοῦτο ἐν οἷς δεδοίκαμεν, ἐπὶ τούτων διδόαμεν τὴν τιμωρίαν. ὁ γὰρ ἐπαισχυνόμενος ἀνθρώπῳ ἀποκαλύψαι τὰ ἁμαρτήματα· Θεοῦ δὲ ὁρῶντος μὴ αἰσχυνόμενος πρᾶξαι, μηδὲ θέλων ὁμολογῆσαι, καὶ μετανοῆσαι, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἐνώπιον ἑνὸς ἢ δύο, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ὁρώσης παραδειγματίζεται. *Imitemur & nos hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus, ſed Deum timeamus. Iam vero contrarium fieri video. Nam cum qui nos judicaturus eſt, non reformidamus; eos vero, qui nullatenus nos lædunt, perhorreſcimus, & ignominiam ab ipſis inurendam reformidamus: quapropter in iis quæ timemus, pœnam ſuſtinemus. Qui enim homini detegere peccata erubeſcit, Deo vero cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult, & pænitentiam agere; in die illa non coram uno vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur.*

III. Non animadvertit Dallæus, apud S. Chryſoſtomum nullam conſtitui diſſimilitudinem inter autoritatem Sacerdotum, qua venia peccatoribus procuratur, & vulneribus medicina admovetur, & ipſammet Dei potentiam; ſed utramque indiſcriminatim & promiſcue accipi. Docet enim poteſtatem judicandi a Patre Filio traditam, ad Sacer-

dotes ab ipſo Filio eſſe traductam. Libro III. de Sacerdotio cap. 5. pag. 33. lit. B. *Pater omne judicium Filio dedit : cæterum video ipſum omne judicium a Deo Filio illis*, ſcilicet Sacerdotibus, *traditum. Nam quaſi jam in cælum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt.* πᾶσαν τὴν κρίσιν ἔδωκεν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ. ὁρῶ δὲ πᾶσαν αὐτὴν τούτοις ἐγχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. ὥσπερ γὰρ εἰς οὐρανοὺς ἤδη μετατεθέντες, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ὑπερβάντες φύσιν, καὶ τῶν ἡμετέρων ἀπαλλαγέντες παθῶν, οὕτως εἰς ταύτην ἤχθησαν τὴν ἀρχήν. Revera deinceps de confeſſione ac peccatorum declaratione quaſi ſoli Deo facta loquitur : ſed ex conditionibus hujus confeſſionis intelligimus, eam apud Sacerdotes fieri. Appellat verbi gratia *declarationem & detectionem*, quod confeſſioni ſoli Deo factæ non congruit, cui nihil eſt occultum ac reconditum, adeoque quod revelari ac detegi poſſit. Ait tamen S. Chryſoſtomus, τὰ ἡμαρτημένα ἐξαγορεύσαντες, *peccata detegentes*. Et in morali Homiliæ IX. in caput VI. Epiſtolæ ad Hebræos : *Cujuſmodi ergo eſt medicamentum pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primum ex peccatorum ſuorum condemnatione & declaratione.* πρῶτον, ἀπὸ καταγνώσεως τῶν

Digitized by Google

οἰκείων ἁμαρτημάτων, καὶ ἀπὸ ἐξαγορεύσεως. Præterea ſi ætate S. Chryſoſtomi ſoli Deo ſua confiteri peccata, poſtpoſitis Sacerdotibus, neceſſe erat, ſupervacaneum videbatur eorum ſigillatim rationem ac calculum inire ac ſubducere. Hanc tamen neceſſitatem peccatoribus imponit S. Chryſoſtomus continuo ſermone hujus Homiliæ, nec ſatis eſſe docet generatim ea deteſtari, atque vero doloris ſenſu affici: ſed poſtquam pœnitentiæ ad normam dirigendæ conditiones præſcripſit, & qua ratione ſe gerere oporteat in Sacerdotes, inter præcipuas recenſuit: τὸ πρὸς τοὺς ἱερεῖς ἔχειν οἰκείως· *& ſe in Sacerdotes ut convenit gerere*: paulo inferius ait: *Sin autem dicit, Sum peccator; ea autem per ſpecies non cogitat ac ſupputat, & non dicit, Hoc & illud peccatum admiſi; numquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis.* ἐὰν δὲ λέγῃ, ἁμαρτωλός εἰμι, μὴ ἀναλογίζηται δὲ αὐτὰ κατ' εἶδος, καὶ λέγῃ, ὅτι τόδε καὶ τόδε ἥμαρτον· οὐδέποτε παύσεται, ἀεὶ μὲν ὁμολογῶν, φροντίζων δὲ οὐδέποτε τῆς διορθώσεως. Iiſdem rationibus adducti nobis perſuademus, confeſſionem ſoli Deo, poſtpoſitis Sacerdotibus, factam ipſum non ſignificare, dum ait Homilia xx. in Geneſis cap. 4. pag. 222. *Attamen qui hæc fecit, ſi voluerit, ut decet, uti conſcientiæ*

Digitized by Google

*adjumento, & ad confeſſionem facinorum feſti-
nare, & medico oſtendere ulcus, qui curet &
non exprobret, atque ab illo remedia accipere,
& ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia di-
cere cum diligentia, facile peccata ſua emenda-
bit. Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt
delictorum.* ἀλλ᾽ ὁ ταῦτα εἰργασμένος ἐὰν βουληθῇ
εἰς δέον χρήσασθαι τῇ ἀπὸ τοῦ συνειδότος βοηθείᾳ,
καὶ ἐπὶ τὴν ἐξομολόγησιν τῶν πεπραγμένων ἐπειχθῆ-
ναι, καὶ τῷ ἰατρῷ δεῖξαι τὸ ἕλκος τῷ θεραπεύον-
τι, καὶ μὴ ὀνειδίζοντι, καὶ τὰ παρ᾽ ἐκείνου φάρμακα
δέξασθαι, καὶ μόνος αὐτῷ διαλεχθῆναι μηδενὸς εἰ-
δότος, καὶ πάντα εἰπεῖν μετ᾽ ἀκριβείας, ταχεῖαν
ποιήσει τὴν διόρθωσιν τῶν ἐπταισμένων· ἡ γὰρ ὁμο-
λογία τῶν ἡμαρτημένων ἀφανισμὸς γίνεται τῶν πλημ-
μελημάτων. Quid enim tam ſtricte jubet *oſten-
dere ulcus medico qui curet*, ſi tanta ſit medici
ſagacitas & perſpicacitas, ut uno ictu ocu-
li omnia uſque ad intima cordis viſcera pe-
netret, nec in ægri poteſtate aut induſtria
poſitum ſit ei quicquam occulere? Quid ne-
ceſſe exiſtimat *omnia peccata cum diligentia
dicere, & confiteri facinora*; ea ſupputare, ac
dicere, *Hoc & illud admiſi*, &c. ſi quæcum-
que ſint peccata quantumvis arcana ac re-
condita, Dei notitiam effugere nequeant?
Igitur quamvis de confeſſione ſoli Deo fa-
cta mentionem facere videatur S. Chryſo-

Digitized by Google

ſtomus, eam revera reſpicit, quæ fit etiam Sacerdotibus; omni diſcrimine remoto inter poteſtatem Sacerdotum, & Dei ad procurandam peccatorum veniam: non alienior a ſententia Autoris Exhortationis ad pœnitentiam, S. Ambroſio aut S. Auguſtino adſcriptæ, qui ait indiſcriminatim *confiteri Deo & Sacerdoti*; & S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis Epiſtola 1. ad Sympronianum: *Sed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt.* Cæterum difficile eſt intelligere, cur Dallæus confeſſionem apud homines ſeu Sacerdotes factam, conſcientiarum tormentum ac carnificinam appellet, eo quod tanta curatione ad peccatorum ſingulorum recenſionem ac ſupputatam rationem incumbant: ſiquidem ab ejuſmodi ſolicitudine & anxietate conſcientiæ confeſſio ſoli Deo facta ex S. Chryſoſtomi ſententia non ſit libera. Reſtat jam ut diluamus res objectas a Dallæo temere S. Chryſoſtomi patrocinium ſuis figmentis vendicante, & tredecim locos ex Operibus variis S. Patris aſſumptos, quos in caput 25. libri IV. de Confeſſione dedita opera congeſſit, explicemus.

CAPUT XIII.

Tredecim loci S. Chryſoſtomi ſpecie difficiles & obſcuri, adverſus confeſſionem auricularem a Dallæo prolati, in gratiam ejuſdem; ex Græci textus & Latini collatione, ex iis quæ antecedunt & conſequuntur, ſincere & faciliter explicantur.

I. PRIMUS locus aſſumitur ex Homilia XXI. ad populum Antiochenum, his verbis conceptus: Οὐ τοῦτο δὲ μόνον ἐστὶ τὸ θαυμαστὸν, ὅτι ἀφίησιν ἡμῖν τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλ' ὅτι αὐτὰ οὐδὲ ἐκκαλύπτει, οὐδὲ ποιεῖ φανερὰ, καὶ δῆλα, οὐδὲ ἀναγκάζει παρελθόντας εἰς μέσον ἐξειπεῖν τὰ πεπλημμελημένα, ἀλλ' αὐτῷ μόνῳ ἀπολογήσασθαι κελεύει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐξομολογήσασθαι. καίτοι γε ἐκ τῶν ἔξωθεν δικαστῶν εἴ τις εἴποι τινὶ τῶν ἁλόντων λῃστῶν ἢ τυμβωρύχων, εἰπεῖν τὰ πεπλημμελημένα καὶ ἀφεθῆναι τῆς κολάσεως, πάσῃ προθυμίᾳ ἂν κατεδέξαντο τοῦτο, τῆς σωτηρίας ἐπιθυμίᾳ, τῆς αἰσχύνης καταφρονοῦντες. ἐνταῦθα δὲ οὐ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀφίησι τὰ ἁμαρτήματα, καὶ οὐκ ἀναγκάζει παρόντων τινῶν αὐτὰ ἐκπομπεύειν, ἀλλ' ἓν μόνον ζητεῖ, ὅπως αὐτὸς ὁ τῆς ἀφέσεως ἀπολαύων μάθοι τῆς δωρεᾶς τὸ μέγεθος. πῶς οὖν

οὐκ ἄτοπον, ἐν οἷς αὐτὸς ἡμᾶς εὐεργετεῖ, εἰ ἀρκοῖτο τῇ παρ' ἡμῶν μαρτυρίᾳ μόνῃ, ἡμεῖς δὲ ἐν οἷς αὐτὸν θεραπεύομεν, ἑτέρους ἐπιζητοῦμεν μάρτυρας, καὶ πρὸς ἐπίδειξίν τι ποιοῦμεν. *Neque hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit, verum & quod ipſa non revelat, nec manifeſta facit, aut conſpicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enunciare; ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet, & ſibi confiteri. Etenim ex ſecularibus judicibus, ſi quis alicui captorum latronum, vel eorum qui ſepulcra effodiunt, diceret, ut peccata confiteretur, & a pœna dimitteretur, omni certe promptitudine hoc ſuſcepiſſent, ſalutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic vero non hoc eſt, verum & peccata dimittit, nec cogit præſentibus quibuſdam ipſa enunciari: ſed unum ſolum exigit, ut ipſe remiſſione fruens, doni magnitudinem diſcat. Quomodo igitur non abſurdum, ut in quibus nos ipſe beneficio afficit, ſolo noſtro teſtimonio contentus ſit; nos autem in quibus ipſum colimus, alios teſtes quæramus, & ad oſtentationem quicquam faciamus?* Ad hunc locum exclamat Dallæus, & ait: *Nihil diſertius adverſus neceſſariam iſtorum confeſſionem dici potuit.*

Facile poſſem ad hujus loci explicationem reſpondere, duplicis confeſſionis ſpeciem in Oriente uſu receptam fuiſſe: priorem, qua

Digitized by Google

in aurem ſolitarii Preſbyteri peccata enarrabantur ; alteram , qua ejuſdem Preſbyteri conſilio , ex enarratis ſibi clam peccatis quædam publice vulgabantur coram totius Eccleſiæ cœtu. Hæc eſt apud Origenem Homilia II. in Pſalmum XXXVII. tam perſpicua veritas , ut nulla res infirmare poſſit. *Tantummodo circumſpice diligentius , cui debeas confiteri peccatum tuum : proba prius medicum , cui debeas cauſam languoris exponere , qui ſciat infirmari cum infirmante , flere cum flente ; qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam : ut ita demum ſi quid ille dixerit , qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit , & miſericordem , ſi quid conſilii dederit , facias & ſequaris : ſi intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum , qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari , ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt , & tu ipſe facile ſanari : multa hoc deliberatione & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.* Poſſem igitur reponere , S. Chryſoſtomum hanc tantum confeſſionis publicæ aſceſim oppugnare ; ſecretam vero & auricularem ſartam tectamque relinquere , quam a ſoli Deo facta non diſcernit ; cum *omne judicium* exiſtimaverit *Patrem Filio dediſſe , & Filium Sacerdotibus jam quaſi in cælum tranſlatis , & ſupra*

humanam naturam poſitis. Libro III. de Sacerdotio pagin. 33. Verumtamen quamvis hæc ſolutio viris doctis non diſpliceat; rotunde fateor, S. Chryſoſtomum eo loci ſpectare confeſſionem ſoli Deo factam, prætermiſſis Sacerdotibus. Nec mirum eſſe debet, cum ejuſmodi Concionem ſeu Homiliam XXI. ad populum Antiochenum habuerit, non ut Fideles baptizatos inſtitueret & erudiret, ſed ſpeciatim Catechumenos: ut quid eis præſtandum eſſet ad digne riteque Baptiſmum ſuſcipiendum ex ea documentum caperent. Ideo pœnitentiæ Catechumenis præſcriptæ modos ac rationes explicat, quibus omiſſis ad Baptiſmum accedere vetat, omnique ad Eccleſiam & religionem ingreſſu interdicit. *Propterea*, inquit, *& prius dixi, & nunc dico, & dicere non deſiſtam, ſi quis morum vitia non correxit, nec ſibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur*. ἀλλὰ τοῦτο καὶ πρότερον εἶπον, καὶ νῦν λέγω, καὶ λέγων οὐ παύσομαι, εἴ τις τὰ ἐλαττώματα τῶν τρόπων μὴ διώρθωσε, μηδὲ παρεσκεύασεν ἑαυτῷ τὴν ἀρετὴν εὔκολον, μὴ βαπτιζέσθω. Atque huic Homiliæ hunc titulum inſcripſit, κατήχησις πρὸς τοὺς μέλλοντας φωτίζεσθαι, *Catecheſis ad illuminandos*, qui baptizatis jam illuminatis non convenit. Quid mirum igitur, ſi de confeſſione peccatorum

ſoli Deo facienda mentionem faciat? Quis
enim ſibi perſuaſit unquam, Catechumenis
& nondum baptizatis confeſſionis apud Sa-
cerdotes faciendæ neceſſitatem impoſitam
fuiſſe? Quis præter baptizatos hac lege te-
neri defendit? Quis igitur abſurdum ac ſu-
pervacaneum fuiſſe non intelligat S. Chryſo-
ſtomo ejuſmodi Homilia præceptis & inſtitu-
tis confeſſionis auditores ſuos erudire, niſi
ſoli Deo faciendæ?

II. Secundus locus exſcribitur ex Homilia
xxx. ſive v. *de incomprehenſibili Dei natura*, pag.
349. lit. D. E. tom. I. editionis Frontonis Ducæi.
διὰ τοῦτο παρακαλῶ, καὶ δέομαι, καὶ ἀντιβολῶ ἐξομο-
λογεῖσθαι τῷ Θεῷ συνεχῶς· οὐδὲ γὰρ εἰς θέατρόν σε
ἄγω τῶν συνδούλων τῶν σῶν, οὐδὲ ἐκκαλύψαι τοῖς
ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα, τὸ συνει-
δὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖ-
ξον τὰ τραύματα, καὶ παρ' αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴ-
τησον· δεῖξον τῷ μὴ ὀνειδίζοντι, ἀλλὰ θερα-
πεύοντι. κἂν γὰρ σιγήσῃς, οἶδεν ἐκεῖνος ἅπαντα.
εἰπὲ τοίνυν, ἵνα κερδάνῃς· εἰπὲ, ἵνα ἐνταῦθα
ἀποθέμενος ἀπέλθῃς ἐκεῖ καθαρὸς, καὶ τῆς ἀφορήτου
δημοσιεύσεως ἐκείνης ἀπαλλαγῇς. *Quas ob res*
vos hortor, & rogo, & oro, fratres cariſſimi,
crebrius Deo immortali confiteamini, & enume-
ratis veſtris delictis, veniam petatis, & numen
propitium. Non te in theatrum conſervorum

Digitized by Google

tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica: oſtende Deo medico præſtantiſſimo vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei qui nihil opprobret, ſed humaniſſime curet. Licet enim taceas, cuncta optime ille novit. Dic, atque enumera, ut fructum maximum conſequaris: dic, ut abſterſis hic tuis maculis, abeas illuc mundus, & ſine ullo dedecore, ut intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum libereris. Ad hæc vero inquit Dallæus: *Neque hic aliud a peccatore exigit, niſi ut Deo confiteatur, conſcientiam coram Deo expandat, vulneraque ipſi nudet, veluti fidiſſimo medico, & morbos noſtros ita curanti, ut minime exprobret.*

RESPONS. Revera nihil aliud exigit eo loci S. Chryſoſtomus, nec aliud potuit aut debuit præter confeſſionem ſoli Deo factam, quam omnibus Fidelibus nullo peccato mortali inquinatis neceſſariam, ac tuendæ humilitati chriſtianæ valde conducibilem omnes Theologi fatentur. Sed ex eo neutiquam conſequitur, inutilem exiſtimaſſe confeſſionem auricularem peccatoribus veniam poſt Baptiſmum poſtulantibus. Hoc autem ex conſilio quod cepit in hac Homilia S. Chryſoſtomus, intelligere facile eſt. Inſtitutum enim ejus eſt erudire Fideles de modis ac ra-

tionibus ad praxim reducendæ humilitatis chriſtianæ, ejuſque uſum inſontibus hominibus ac juſtis neceſſarium comprobare. Quamobrem exemplum aſſumit Publicani & Phariſæi, quorum unus ſpeciem quamdam juſtitiæ ad ſuperbiam aggregaverat, alter vero ſublimi humilitate præditus delicta ſua libenter confitebatur, Phariſæi inſultationes de calamitate ſuſtinens. Docet exemplum vitæ chriſtianæ eſſe ex facto Publicani petendum, ſeque illud ex Evangelio non ponere, *ut licentius peccaretur, ſed ut animus humilis ac modeſtus ſervaretur. Hæc tamen,* inquit, *non ob eam rem dixi, ut licentius peccaremus, ſed ut animum ſervaremus humilem & modeſtum.* Ταῦτα δὲ λέγω οὐχ ἵνα ἁμαρτάνωμεν, ἀλλ' ἵνα ταπεινοφρονῶμεν. Atque ex eo quod Publicanus peccatis ſuis propoſitis, & rem ut erat, confeſſus, tantam benevolentiæ teſtificationem a Deo obtinuerit, concludit quantum meritum ſibi homines chriſtiani procurare poſſint, qui cum præclara egerunt bona, nihil magni feciſſe exiſtiment. Εἰ γὰρ τελώνης ἄνθρωπος τὸ ἔσχατον τῆς κακίας εἶδος, οὐχὶ ταπεινοφρονήσας, ἀλλ' εὐγνωμονήσας μόνον, καὶ τὰ ἁμαρτήματα εἰπὼν, καὶ ὅπερ ἦν ὁμολογήσας, τοσαύτην εὔνοιαν ἐπεσπάσατο παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὅσην οἱ μεγάλα μὲν κατωρθωκότες ἀγαθὰ, μηδὲν δὲ

μέγα περὶ ἑαυτῶν νομίζοντες ἀποσπάσονται τὴν βοήθειαν. Nam ſi homo publicanus ultimum vitiorum genus non humili, ſed facili quodam & pio dumtaxat animo peccatis propoſitis, & rem, ut erat, confeſſus, tantum benevolentiæ apud Deum contraxit: quantum meritum ſibi homines comparare poſſint, qui cum præclara egerunt bona, nihil magni feciſſe arbitrentur. Inſuper addit exemplum trium Puerorum in fornace ardentium, qui cum amore Dei vehementiſſimo flagrarent, & ad tantum innocentiæ ſive juſtitiæ gradum pervenerint, ut animam certo vitæ ſuæ periculo expoſuerint; confitebantur tamen, & poſt tot tantaque virtutis officia referebant: * *Non poſſumus aperire os, confuſio & opprobrium facti ſumus ſervis tuis, & colentibus te.* Igitur luce meridiana clarius conſtat, totum S. Chryſoſtomi ſcopum fuiſſe, ut oſtenderet, juſtos & innocentes in conſpectu Dei mundos non eſſe, & cauſam non tam culpæ diluendæ, quam tuendæ innocentiæ ageret, ad quam ſinceram peccati confeſſionem ſeu recognitionem coram Deo, privatim, nulloque alio conſcio, non ſolum conducibilem, ſed neceſſariam eſſe demonſtrat. Enimvero * *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* At ne-

* Danielis cap. 3. ℣ 33. * 1. Ioan. cap. 1. ℣. 8.

mini homini Theologo unquam in mentem incurrit defendere, legem confeſſionis Sacerdotibus faciendæ impoſitam fuiſſe juſtis & nullo peccatò mortali inquinatis. Igitur inſulſum ac ſupervacaneum fuiſſet Chryſoſtomo ejuſmodi confeſſionem hic recenſere: adeoque tantulæ admirationi locus non relinquitur, ſi ſoli Deo factam protulerit, quæ in rem quam defendit, eſſe videbatur. Concionatores Romani quotidie plebem chriſtianam de confeſſione ſoli Deo facienda, ad humilitatem ſervandam & modeſtiam erudiunt, & ad verum doloris ſenſum de peccatis remiſſis adhortantur; nec tamen in ſuſpicionem cadunt poſtpoſitæ aut repudiatæ confeſſionis auricularis: quippe cum quotidie plebem chriſtianam doceant autoritatem ligandi & ſolvendi animas a Chriſto Sacerdotibus traditam; ipſos Sacerdotes eſſe medicos, quorum curationibus Chriſtiani ultro ſe ſubmittere debent; medicamenta pœnitentiæ primum ex peccatorum condemnatione & declaratione confici; nihil eſſe relinquendum quod probe non excutiat atque examinet Epiſcopus; quin omnia accurate ac ſtudioſe perſcrutatum tum demum illum oportere ſua ipſius remedia congrue, apte & accommodate afferre. Quamobrem cum

hæc omnia ex S. Chryſoſtomi lib. III. de Sacerdotio, & Commentario in Epiſtolam ad Hebræos ſupra citatis planiſſime intelligantur, dubitandi locus non relinquitur, quin ſuſpicione repudiatæ confeſſionis auricularis liber atque immunis ſit.

III. *Tertius ſuccedat jam alibi a nobis ſupra deſcriptus locus*, inquit Dallæus, *in quo de Pauli præcepto, Probet ſe homo, & ſic de pane illo comedat, hæc habet: Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit: intus in conſcientia adſtante nemine, præter eum qui cuncta videt Deum, inſtitue judicium & peccatorum examen atque inquiſitionem. & cætera de quibus nos ſupra uberius.* οὐκ ἀπεκάλυψε τὸ ἕλκος· οὐκ εἰς κοινὸν θέατρον ἤγαγε τὴν κατηγορίαν· οὐ παρέστησε μάρτυρας τῶν πλημμελημάτων· ἔνδον ἐν τῷ συνειδότι μηδενὸς παρόντος πλὴν τοῦ πάντα ὁρῶντος Θεοῦ, ποιοῦ τὴν κρίσιν, καὶ τῶν ἡμαρτημένων τὴν ἐξέτασιν, καὶ πάντα τὸν βίον ἀναλογιζόμενος ὑπὸ τοῦ νοῦ τὸ κριτήριον ἄγε τὰ ἁμαρτήματα. *Tom.* I. *Op. S. Chryſ. Homil.* LVI. *quæ eſt* VIII. *de Pœnitentia, pag.* 622. *lit.* D.

Respons. Ex his nihil aliud intelligimus, niſi diu multumque tentandam probandamque eſſe conſcientiam, antequam ad Euchariſtiam accedamus. Nam revera non ſpectat

eo loci S. Chryſoſtomus confeſſionem Sacerdoti faciendam. Sed ex eo neutiquam conſequitur, illam alibi repudiaſſe, quam econtra conceptis verbis dedita opera conſtituit libris de Sacerdotio citatis, & Commentario in Epiſtolam ad Hebræos. Prætermittit in hac Homilia eleemoſynam, quam ſequenti pag. 627. lit. A. inter peccatorum antidota recenſet. *Hanc amando faciamus, cui nihil æquale : potens eſt enim peccata alia delere, judiciumque propulſare.* Ταύτην ἀσπασώμεθα, ἧς οὐδὲν ἴσον. ἱκανὴ ἐστὶ καὶ ἄλλας ἁμαρτίας ἐξαλεῖψαι, καὶ τὴν κρίσιν ἀπελάσαι. Idem S. Chryſoſtomus eadem Homilia VIII. de Pœnitentia, his verbis Evangelii, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo,* vim ſingularem ad delenda peccata tribuit. *Sufficiunt*, inquit, *omnem peccati morbum purgare nuda hæc verba recitata.* ἀρκεῖ πᾶσαν τῆς ἁμαρτίας τὴν σηπεδόνα καθᾶραι ψιλὰ ἀναγνωσθέντα στίφει τὰ ῥήματα. Quis tamen mentis compos ex his colligere velit, procurandæ veniæ peccatorum eleemoſynam inutilem exiſtimaſſe S. Chryſoſtomum ? Eadem Homilia, prætermiſſis Pœnitentia & Baptiſmo, ait : *Dominum conſidera, atque omnino morbum curabis.* ἐννόησον τὸν δεσπότην, καὶ πάντως καταπαύσεις τὸ νόσημα. Neminem hominem inventum iri mi-

hi perſuadeo, qui ex his concludat, nec Baptiſmum nec Pœnitentiam comparandæ remiſſioni peccatorum eſſe conducibilem, niſi de poteſtate mentis exceſſerit. Quis igitur jam non videat, quam imbecillum ac parum propitium ſit figmentis Dallæi ejuſmodi argumentum negativum? Vix ab eo aſſumptum fuiſſet, ſi paulo attentiori cogitatione hæc verba Homiliæ ſequentis, ſcilicet IX. de Pœnitentia, reputaſſet: *Peccator es: Eccleſiam ingredere; dic, Peccavi; & ſolviſti peccatum.* ἁμαρτωλὸς εἶ; εἴσελθε εἰς τὴν ἐκκλησίαν· εἰπὲ, ὅτι ἡμάρτηκα· καὶ ἔλυσας τὴν ἁμαρτίαν. Quid enim hæc verba ſignificant: *Ingredere Eccleſiam; dic, Peccavi?* Sufficitne pedem in fundo Eccleſiæ ponere, & pronunciare ore patulo, *Peccavi*, ad obtinendam veniam? Hoc abſurdum & inſulſum videretur. Igitur S. Chryſoſtomus his verbis ſignificare voluit neceſſitatem confugiendi ad Eccleſiam, & abjiciendi ſe ad pedes Sacerdotum, ad medicos animarum, & ſalutis procuratores, qui rerum conſcientiæ noſtræ ſatagere debent, cordiſque & mentis intima viſcera ſcrutari & penetrare, ut ſupra docuiſſe oſtendimus.

IV. Quartus locus aſſumitur ex Homilia LVII. ſive IX. de Pœnitentia, pagina 630. in

qua varios modos rationeſque agendæ pœnitentiæ explicat. *Deo ſoli*, inquit, *dic peccatum tuum. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. & dimittitur tibi peccatum tuum.* Θεῷ μόνῳ εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν σου. σοὶ μόνῳ ἥμαρτον, καὶ τὸ πονηρὸν ἐνώπιόν σου ἐποίησα· καὶ συγχωρεῖταί σου ἡ ἁμαρτία. Ad hæc verba Dallæus exclamat : *Illa vero ejuſdem in Homilia ſequenti quam dulcia, quam egregia ſunt ! uni, ut vides, Deo confitendum ſtatuit, nullius Sacerdotis conſcientiam in hoc negotio requirit.*

RESPONS. Non eſt tantulæ exclamationi locus. Quis enim dubitet, horum verborum ſenſum, Θεῷ μόνῳ εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν σου. *Deo ſoli dic peccatum tuum*, non alienum habere ſenſum ab iis Scripturæ ex Pſalmo L. a S. Chryſoſtomo citatis, *Tibi ſoli peccavi :* quæ quidem ſignificant, *Contra te ſolum peccavi ;* uti intelligimus ex II. Regum cap. 12. ℣. 13. *Et dixit David ad Nathan, Peccavi Domino.* Καὶ εἶπε Δαυὶδ πρὸς Νάθαν, Ἡμάρτηκα πρὸς Κυρίῳ. חָטָאתִי לַיהוָה & ipſemet recognovit Sebaſtianus Munſterus partium Proteſtantium Scriptor, ex Franciſcano Calviniſta, in ſua tranſlatione Pſalmi L. Cum igitur ait S. Chryſoſtomus, *Dic Deo ſoli peccatum*, ſenſus non eſt, ſoli Deo, poſtpoſito Sacerdote, enunciandum eſſe peccatum, ſed recognoſ-

Digitized by Google

cendum cum Davide peccatum noſtrum eſſe *contra ſolum Deum*, cui ſoli competit ſupremum de peccatis noſtris ferre judicium. Si verbis S. Chryſoſtomi alius inducatur ſenſus, ad id quod agit ac probare vult, appoſite & accommodate non citat hæc verba Pſalmi L. *Tibi ſoli peccavi*. Licet enim omnia peccata ſive occulta, ſive publica, ſint contra ſolum Deum; directe non conſequitur peccata omnis generis, ſive publica, ſive recondita, deberi ſoli Deo enunciari, neutiquam vero Sacerdotibus: quippe cum ipſe Dallæus libenter fateatur, uſu receptam fuiſſe pro peccatis publicis pœnitentiam publicam tempore S. Chryſoſtomi, libri IV. de Confeſſione capite 32. Cum econtra ex eo quod omne peccatum ſit contra Deum ſolum, ad normam rectæ rationis directa ratiocinatione conſequatur naturaliter, neceſſe eſſe recognoſcere contra ſolum Deum eſſe peccatum noſtrum, ſive Deum ſolum eſſe ſupremum omnium creaturarum judicem. Quæ cum ita ſint, ut hæc oratio S. Chryſoſtomi recta verborum conſtructione conformetur, intelligendum eſt, has voces, *Deo ſoli*, Θεῷ μόνῳ, regi hac voce, *peccatum*, τὴν ἁμαρτίαν: quemadmodum Pſalmo L. *tibi ſoli*, per hoc verbum, *peccavi*, non vero per

verbum, *dic*, εἰπέ. Sicque ſenſus erit: Dic in corde, ſive agnoſce intus in corde, peccatum tuum eſſe contra ſolum Deum. Porro his ita ſubjectis, luce meridiana clarius patet, quam inſulſum & ſupervacaneum ſit ejuſmodi locum Sancti Chryſoſtomi in rem confeſſionis ſoli Deo faciendæ proferre, de qua ne quidem cogitavit.

V. Quintus exſcribitur ex Homilia XX. in Geneſim, quem ſupra capite XII. abundanter explicatum hic refricare non opus eſt: quo oſtendimus confeſſionem Deo factam non inſociabilem eſſe confeſſioni Sacerdotibus faciendæ: cum etiam hujus loci ſolutio ex continuo ſequentium explicatione faciliter intelligatur.

VI. *Idem quoque docet Chryſoſtomus*, inquit Dallæus, *in Pſalmum* L. *Homilia altera.* τὰ δὲ ἁμαρτήματά σου σὺ λέγε, ἵνα ἐξαλείψῃς αὐτά. ἀλλ' αἰσχύνη εἰπεῖν, διότι ἥμαρτες. λέγε αὐτὰ καθ' ἡμέραν ἐν τῇ εὐχῇ σου. καὶ τί; μὴ γὰρ λέγω, εἰπὲ τῷ συνδούλῳ τῷ ὀνειδίζοντί σε; εἰπὲ τῷ Θεῷ τῷ θεραπεύοντι αὐτά. οὐ γὰρ, ἐὰν μὴ εἴπῃς, ἀγνοεῖ αὐτὰ ὁ Θεός. μὴ γὰρ παρά σου βούλεται αὐτὰ μαθεῖν; ὅτε ἔπραττες αὐτὰ, παρῆν· ὅτε εἰργάζου αὐτὰ, παρίστατο, ἠπίστατο. εἰργάζου, καὶ οὐκ ᾐσχύνου; τὰ πράγματα τὰ καταισχύνοντά σε οὐκ ᾐσχύνθης, καὶ τὰ ῥήματα τὰ δικαιοῦντά σε

αἰσχυνῃ; εἰπὲ ὧδε, ἵνα μὴ ἐκεῖ εἴπῃς. εἰπὲ, καὶ δάκρυσον· ἐν βιβλίῳ γέγραπται τὰ ἁμαρτήματά σου· σπόγγος ἐστὶ τὰ δάκρυά σου. δάκρυσον, καὶ ἐξαλείφονται· δάκρυσον, καὶ εὑρίσκεται καθαρὸν ἐκεῖ τὸ βιβλίον. μέγας σπόγγος τὰ δάκρυα τῶν ἁμαρτιῶν. *Peccata autem tua ipſe commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Num enim dico, ut ea conſervo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui iis medetur. Neque enim, ſi non dixeris, ignorat ea Deus. Neque enim ex te ea ſcire vult. Nam cum ea perpetrares, aderat: cum ea admitteres, adſtabat, ſciebat. Perpetrabas ea, nec pudore commovebaris. Ob ea quæ tibi probrum ac dedecus afferebant, non erubeſcebas: & nunc ob verba ea, quibus juſtitia tibi comparatur, erubeſcis? Hic narra, ut non illic narres. Dic, & lacrymas funde. Peccata tua in libro ſcripta ſunt: ſpongiæ autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte: & oblitterantur. Lacrymas mitte: & purus illic liber invenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt lacrymæ.* Et paulo inferius: ὅταν δὲ ἐπὶ τὴν κοίτην ἔλθῃς, ἐπὶ τὸν λιμένα τὸν ἀκύμαντον, καὶ μηδεὶς σοι διενοχλῇ, εἰπὲ τῇ καρδίᾳ τῇ σῇ καὶ τῇ ψυχῇ· ἀνηλώσαμεν τὴν ἡμέραν σήμερον, ὦ ψυχή. τί ἀγαθὸν εἰργασάμεθα; ἢ τί πονηρὸν ἐπράξαμεν; καὶ μνήσθητι τῆς γεέννης, ἵνα τῷ φόβῳ περαθῇς τῷ

ἀγαθῷ, καὶ τὸ πονηρὸν ἀνέλῃς. ἐὰν ᾖς ἐν τῇ κλίνῃ καὶ ἀναμνησθῇς σου τὰ ἁμαρτήματα, δάκρυσον, καὶ δυνάσαι ἐν τῇ κλίνῃ ἐξαλεῖψαι αὐτά. παρακάλεσον τὸν Θεόν σου, καὶ οὕτω παράπεμψον τὴν ψυχήν σου τῷ ὕπνῳ, μαρτυράμενος τὰ ἁμαρτήματα. *Cum autem in lectum, hoc eſt, ad tranquillum portum te conjeciſti, nec ullus eſt, qui tibi moleſtiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ tuæ: Exegimus hodiernam diem, o anima: quid boni fecimus, aut quid mali admiſimus? ac gehennæ recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto ſis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma: atque ea hac ratione in lecto delere potes. Deum tuum roga atque obſecra: ſicque corpus ſomno trade, poſteaquam prius peccata confeſſus fueris.*

RESPONS. S. Chryſoſtomus eo loci nec ſoli Deo, nec Sacerdotibus factam confeſſionem peccatorum ſpectat. Conſilium ejus eſt vehementer adhortari homines, ne peccata ignorantiæ committant: uti ſæpius plerique ſolent, quorum exempla prodidit pag. 1002. & 1003. hujuſce Homiliæ; adeoque animadvertit nos quamdam pactionem tacitam permutationis cum Deo facere. *Contractus quidam ac viciſſitudo eſt. Dat Deus: dat item ille, cui ſalus affertur. Deus miſericordiam dedit:*

dedit: confeſſionem viciſſim is dedit, qui ſalutem accepit. συνάλλαγμά ἐστι. δίδωσιν ὁ Θεὸς, δίδωσιν ὁ σωζόμενος. ἔδωκεν ὁ Θεὸς ἔλεος, ἔδωκεν ὁ σωζόμενος ἐξομολόγησιν. Ac continuo ſermone explicans confeſſionem quam homo cum Deo miſericordia commutat, docet ipſam eſſe quam pauci conſequuntur, proprii peccati cognitionem. τί δίδως, ὦ Δαβίδ, ἵνα σωθῇς; ἵνα κεράσω τὸ φάρμακον; ὅτι τὴν ἀνομίαν μου ἐγὼ γινώσκω. τοῦτο δίδως; καὶ ἔστιν ἄνθρωπος ὁ μὴ γινώσκων τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῦ; ναί. πόσοι εἰσὶν ἁμαρτάνοντες, καὶ παῤῥησιαζόμενοι; πόσοι ἁρπάζουσι, καὶ οὐδὲ οἴδασιν ὅτι ἁρπάζουσι; πόσοι πλεονεκτοῦσι, καὶ οὐδὲ αἰσθάνονται; πόσοι γυμνοῦσι χήρας, καὶ ἄλλας περιεργάζονται; πόσοι θλίβουσιν ὀρφανούς, καὶ οὐδὲ πενθοῦσιν, οὐδὲ δακρύουσιν, οὐδὲ ἐξομολογοῦνται; πῶς οὖν δύνανται σωθῆναι, μηδὲ εἰδότες ὅτι ἁμαρτάνουσιν; *Quid tribuis, David, ut ſalutem accipias, atque ut pharmacum miſceam?* QUONIAM INIQUITATEM MEAM EGO COGNOSCO. *Hoccine tribuis? Eſtne quiſquam qui peccatum ſuum minime cognoſcat? Eſt ſane. Quotnam enim ſunt, qui peccant, & fidentem animum gerunt? Quotnam ſunt, qui rapiunt, & ſe rapere ignorant? Quotnam ſunt, qui ſuum alteri detrahunt, nec id ſentiunt? Quotnam ſunt, qui viduas ſpoliant, atque alienas formas curioſius intuentur? Quotnam ſunt,*

qui pupillos opprimunt, nec propterea plorant, lacrymaſque emittunt, nec confitentur? Quonam igitur pacto ſalutem aſſequi poſſunt, cum ne id quidem ſciant quod peccent?

Hac de cauſa Fideles hortatur S. Chryſoſtomus, ut conſcientiam ſuam cum cura examinent, dum cubitum diſcedunt, ac quotidie ſibi ipſis ſua peccata confiteantur, dum in cubili curis rerum domeſticarum ac ſolicitudinibus liberi, nondum conſopiti recumbunt. Quis autem ex Concionatoribus & Doctoribus Eccleſiæ Romanæ ejuſmodi adhortatione auditores ſuos non compellat? & propterea in ſuſpicionem veniat repudiatæ confeſſionis auricularis? Nullus ſane: quippe cum palam doceant Fideles, Sacerdotes eſſe animarum noſtrarum medicos, vulnerum ſecretorum ſcrutatores a Chriſto inſtitutos, divina autoritate ad peccata remittenda exornatos, qua ipſos reliquit expertes Deus Angelos. Cum igitur ea omnia ex S. Chryſoſtomo aſſumant, libris ſcilicet de Sacerdotio & aliis ſupra laudatis; quid adverſus confeſſionem auricularem rebus Proteſtantium conducit locus a Dallæo prolatus, & quid in his omnibus contrarium ac inſociabile videtur? cum præſertim S. Chryſoſtomus omnes peccatores ad occultorum peccatorum con-

Digitized by Google

feſſionem exemplo Samaritanæ adhortetur, ut ſupra capite XII. obſervavimus ex tomo VI. pag. 421.

VII. *Sed non minus clara ſunt, immo etiam aliquanto luculentiora, quæ ex aliis ejuſdem Viri ſcriptis petita ſequuntur:* inquit Dallæus, *qualia ſunt illa ex Homilia in Lazarum* IV. *plane divina*, tom. V. pag. 87. οὐδὲν γὰρ οὕτως ὀλέθριον τῇ ἁμαρτίᾳ, ὡς κατηγορία καὶ κατάγνωσις σὺν μετανοίᾳ καὶ δάκρυσι. κατέγνως σοῦ τὴν ἁμαρτίαν; ἀπέθου τὸ φορτίον. καὶ τίς ταῦτά φησιν; αὐτὸς ὁ δικάζων Θεός. λέγε σὺ τὰς ἁμαρτίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς· τίνος γὰρ ἕνεκεν αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς, εἰπέ μοι, τὰ ἁμαρτήματα εἰπεῖν; μὴ γὰρ ἀνθρώπῳ λέγεις, ἵνα ὀνειδίσῃ σε; μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, ἵνα ἐκπομπεύσῃ; τῷ δεσπότῃ, τῷ κηδεμόνι, τῷ φιλανθρώπῳ, τῷ ἰατρῷ τὸ τραῦμα ἐπιδεικνύεις. μὴ γὰρ κἂν σὺ μὴ εἴπῃς, ἐκεῖνος οὐκ οἶδεν, ὅσγε καὶ πρὸ τοῦ πραχθῆναι ἠπίστατο; τίνος οὖν ἕνεκεν οὐ λέγεις; μὴ γὰρ ἐκ τῆς κατηγορίας φορτικώτερον γίνεται τὸ ἁμάρτημα; ἡμερώτερον μὲν οὖν καὶ κουφότερον. καὶ διὰ τοῦτο βούλεταί σε εἰπεῖν, οὐχ ἵνα κολάσῃ, ἀλλ' ἵνα συγχωρήσῃ· οὐχ ἵνα αὐτὸς μάθῃ τὴν ἁμαρτίαν· πῶς γὰρ, ὁ εἰδώς; ἀλλ' ἵνα σὺ μάθῃς πόσον σοι συγχωρεῖ χρέος. βούλεται δέ σε μαθεῖν τῆς χάριτος τὸ μέγεθος, ἵνα εὐχαριστῶν διατελῇς, ἵνα ὀκνηρότερος πρὸς ἁμαρτίαν ᾖς, ἵνα προθυμότερος εἰς ἀρε-

Digitized by Google

τιλώ. ἂν μὴ εἴπῃς τοῦ χρέους τὸ μέγεθος, οὐκ ἐπιγινώσκεις τῆς χάριτος τὴν ὑπερβολήν. οὐκ ἀναγκάζω, φησὶν, εἰς μέσον ἐλθεῖν σε θέατρον, καὶ μάρτυρας περιστῆσαι πολλούς. ἐμοὶ τὸ ἁμάρτημα εἰπὲ μόνῳ κατ' ἰδίαν, ἵνα θεραπεύσω τὸ ἕλκος, καὶ ἀπαλλάξω τῆς ὀδύνης. *Nihil enim tam exitiale peccato, quam peccati accuſatio* CONDEMNATIOQUE *cum pœnitudine lacrymiſque conjuncta.* CONDEMNASTI *tuum peccatum? depoſuiſti ſarcinam. Quis hæc dicit? Ipſe judex Deus. Dic tu peccata tua prior, ut juſtificeris. Cur igitur, te quæſo, pudeſcis & erubeſcis dicere peccata tua? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat? Num enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat? Imo vero ei qui Dominus eſt, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus eſt, ei qui medicus eſt, oſtendis vulnera. Neque enim ignorat, etiamſi tu non dixeris, qui ſciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur eſt cauſæ, quo minus dicas? Non enim ex accuſatione tua fit gravius peccatum: imo vero mitius ac levius. Et ob hoc ipſum Deus vult te dicere: non ut puniaris, ſed ut relaxeris: non ut ipſe ſciat peccatum: cur enim id poſtulet, quum jam ſciat? Sed ut ſcias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo vero vult te ſcire beneficii magnitudinem, ut perpetuo gratias agas, ut ſegnior fias ad peccandum, ut ad virtutem prom-*

Digitized by Google

ptior. Niſi dixeris debiti magnitudinem, non agnoſces donationis eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes. Mihi ſoli dic peccatum privatim, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem.

RESPONS. Eodem conſilio hæc ſcripſit S. Chryſoſtomus, quo Homiliam alteram in Pſalmum L. proxime explicatam, & LVII. de Pœnitentia. Hortatur ſcilicet peccatores, ut peccatum ſuum recognoſcant & condemnent coram Deo. Enimvero vocabulum, κατάγνωσις, quo utitur, *condemnationem* & *agnitionem* æquabiliter ſignificat. Et ideo nobis a Deo inſitam conſcientiam aſſerit: διὰ τοῦτο τὸ συνειδὸς ἡμῖν ἐγκατέθηκε: ut ejus angoribus ac ſolicitudinibus exciſi peccatum noſtrum coram Deo fateamur, adeoque ex cognita debiti magnitudine donationis eminentiam intelligamus. ἂν μὴ εἴπῃς τοῦ χρέους τὸ μέγεθος, οὐκ ἐπιγνώσῃς τῆς χάριτος τὴν ὑπερβολήν. *Niſi dixeris debiti magnitudinem, non agnoſces donationis eminentiam.* Quid vero inſociabile eſt in ejuſmodi doctrina cum confeſſione auriculari? Confeſſionem ſoli Deo factam opponit theatrali & publicæ, neutiquam auriculari. Immo vero auricularem ſive Sacerdotibus factam admiſiſſe neceſſe eſt, in quo-

Digitized by Google

rum poteſtate poſitam remiſſionem peccatorum conceptis verbis recognoſcit Sermone 1. *de utilitate lectionis Scripturæ*, pag. 682. & 683. καὶ γὰρ εἰρήκαμεν, ὅτι κύριος τοῦ δῆσαι καὶ λῦσαι ἐστὶν ὁ ἄρχων. ὅρα δὴ ταύτην τὴν ἀρχὴν τοὺς ἀποστόλους ἔχοντας. Ὅσους γὰρ ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, φησὶν, ἔσονται δεδεμένοι ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Diximus enim, in poteſtate ſitum eſſe magiſtratus, ut vinciat & ſolvat. Vide rurſus hoc imperium eſſe penes Apoſtolos. Quoſcumque enim ligaveritis ſuper terram, inquit, erunt ligati in cælis.* Et infra: βούλει μαθεῖν πῶς κύριοι ἦσαν καὶ ὀφλήματα ἀφεῖναι; καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα πολὺ τὸ διάφορον ὄψει. οὐ γὰρ ὀφλήματα χρημάτων, ἀλλ' ὀφλήματα ἁμαρτημάτων ἀφίεσαν. Ὧν γάρ, φησιν, ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς· καὶ ὧν ἂν κρατῆτε, κεκράτηνται. *Vis intelligere, quo pacto in poteſtate illorum eſſet & debita dimittere? ſiquidem hic quoque multum diſcriminis offendes. Neque enim pecuniarum debita, ſed peccatorum debita remittebant. Quorum enim, inquit, remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

At vero ſi jure merito S. Chryſoſtomus ex poteſtate remittendi peccata, quæ Deo competit, colligit confeſſionem Deo faciendam, ut delicti gravitatem ex eminentia donationis perſpectam habeamus: quis ean-

Digitized by Google

dem poteſtatem toties a S. Chryſoſtomo Sacerdotibus & miniſtris Eccleſiæ vindicatam non aſſumat ad concludendum iiſdem peccatorum confeſſionem fieri debere ? cum præſertim judicium exercere, niſi cognita per confeſſionem cauſa, non poſſint ; ipſe vero Deus, prætermiſſa confeſſionis ope, intima cordis viſcera penetret, ac magis reconditas cogitationes perſpectas habeat.

VIII. Octavus exſcribitur ex Sermone LVII. *de peccatis fratrum non evulgandis*, pag. 754. tom. v. οὐ γὰρ εἰς μέσον ἄγοντες τοὺς ἡμαρτηκότας, οὕτω δημοσιεύομεν αὐτῶν τὰ ἁμαρτήματα· ἀλλὰ κοινὴν ἅπασι προθέντες τὴν διδασκαλίαν, τῷ τῶν ἀκροωμένων συνειδότι καταλιμπάνομεν, ὥστε ἕκαστον τὸ κατάλληλον φάρμακον τῷ οἰκείῳ τραύματι ἐκ τῶν λεγομένων ἐπισπάσασθαι. *Neque enim in medium adductis peccatoribus, eorum peccata ſic divulgamus : ſed communi omnibus doctrina propoſita, conſcientiæ relinquimus auditorum, ut convenientem ſuo vulneri ex iis quæ dicta ſunt, eliciant medicinam.* Et paulo inferius eadem pagina : πρόεισι μὲν οὖν φανερῶς ὁ λόγος, εἰς δὲ τὸ ἑκάστου συνειδὸς ἐγκαθεζόμενος, λανθανόντως καὶ τὴν παρ' ἑαυτοῦ θεραπείαν παρέχει, καὶ πρὶν ἢ δημοσιευθῆναι τὸ νόσημα, τὴν ὑγίειαν πολλάκις ἐπήγαγεν. *Procedit igitur aperte ſermo, & cujuſque conſcientiæ inſidens, laten-*

ter ſuam adhibet medicinam, & priuſquam ægritudo publicetur, ſæpe reſtituit ſanitatem. Ad hæc inquit Dallæus: *Iſtorum quidem, ut patet, peccata ſine confeſſionali myſterio ſanari credidit.*

RESPONS. Ejuſmodi concluſio non eſt hominis ſui compotis: quippe S. Chryſoſtomus bene ac ſapienter explicat eo loci, qua ratione verbum Dei ſeu conciones ſacræ remedium adferant morbis animarum noſtrarum, atque iis ſanitatem procurent; oſtenditque hoc genus medicinæ vehementer ab eo differre, quo in curandis corporum morbis homines uti ſolent. Porro ex eo capite diſſimilitudinem aſſumit, quod medicis corporum ſigillatim morbi occultiores, ac vulnera recondita explicentur, quibus non generatim, ſed particulatim & nominatim remedia atque antidota decernunt: concionatores vero, ſeu verbi divini præcones generatim tantum morbos defricant, atque remedia adhibent; adeo ut in arbitrio & judicio auditorum relinquant uſum remediorum, quæ ſuis morbis ægri accommodata ac propria eſſe intelligunt. Verbi gratiâ, avarus aut mulieroſus, recondita permanente avaritia aut libidine ſua, haurit ex concione adverſus avaros aut mulieroſos vitiorum ſuo-

rum remedia, iiſque clam & ad libitum utitur. Quis ita ſe rem habere in Eccleſia Romana dubitet, aut ejuſmodi S. Chryſoſtomi doctrinæ ſubſcribere renuat? Quid enim officit legibus confeſſionis auricularis, ſi concionatores ignotorum ægrorum morbos & vulnera curent? Enimvero cum S. Chryſoſtomus locis ſupra citatis Sacerdotes cum medicis comparet, atque eis jus & poteſtatem vindicet examinandi, penetrandi viſcera conſcientiarum, ac de iis judicandi: quis dubitet tantum Doctorem exiſtimaſſe, Sacerdotibus non ſecus ac medicis morbos occultiores ac vulnera magis arcana retegi atque explicari debere? Immo ipſe conceptis verbis docet eodem Sermone LVII. pagina 756. veniam peccatis noſtris ope confeſſionis procurari, quam ſoli Deo faciendam eſſe non ſignificat. *Novit quippe*, inquit, Diabolus ſcilicet, *probe novit, ſi providi vigileſque acceſſerint, & peccata ſua dixerint*, (vertit Fronto Ducæus, *confeſſi fuerint*) *animaque ferventi defleverint, multam illos veniam impetraturos*. Οἶδε γάρ, οἶδε σαφῶς, ὅτι ἂν προσέλθωσι νήφοντες, καὶ εἴπωσι τὰ ἡμαρτημένα, ἐξ ἀποδύρωνται) ζεούσῃ τῇ ψυχῇ, πολλὴν λαβόντες συγγνώμην ἀπέρχονται). Eodem Sermone ait, *hominem ab ira immunem, cito etiam immunem*

Digitized by Google

fore a peccatis. οὕτως ὁ καθαρὸς ὢν ὀργῆς, καθαρὸς καὶ ἁμαρτημάτων ἔσται ταχέως. Ex eo tamen inſulſum eſſet colligere, verbi divini prædicationem curandis morbis animi, ſeu extergendis vitiis, non eſſe conducibilem. De quo initio hujus Sermonis ait: τῶν δὲ ἁμαρτημάτων τούτων καὶ τῶν τραυμάτων τὸ φάρμακον, ὁ λόγος ἐστί. *Porro peccatorum iſtorum ac vulnerum medicamentum eſt ſermo.*

Verumtamen Dallæus objectionem obfirmato pectore perſequitur libri IV. de Confeſſione cap. 12. pag. 395. atque ex eadem Homilia LVII. *de peccatis fratrum non evulgandis*, pag. 755. verba profert, quæ ſibi propitia perperam exiſtimat. ἀλλ᾽ οὔτε τούτοις, οὔτε ἐκείνοις ἴσμεν· ἡ δὲ ἄγνοια ἀμφοτέροις χρήσιμος αὐτῇ. πῶς, ἐγὼ λέγω. ὁ τῶν ἐγκωμίων ἀκούσας τῆς εὐχῆς, καὶ συνειδὼς ἑαυτῷ ἀνάξιον, εἰ πολλοὺς εἶχε μάρτυρας τῶν ἐγκωμίων, πρὸς ἀπόνοιαν ἂν ἐξωλίσθησε· νυνὶ δὲ λανθάνοντες δεξάμενος τὸν ἔπαινον, πάσης ἀλαζονείας ἀπήλλακται. πάλιν ὁ συνειδὼς ἑαυτῷ ῥᾳθυμίαν, τῆς κατηγορίας ἀκούσας, ἐγένετο βελτίων ἀπὸ τῆς κατηγορίας, οὐδένα σχὼν τῆς ἐπιτιμήσεως γνωστὸν ἀνθρώπων. τοῦτο δὲ αὐτὸν οὐχ ὡς ἔτυχεν ὤνησε. διὰ γὰρ τὸ πρὸς τὴν τῶν πολλῶν ἐπτοῆσθαι δόξαν, ἕως μὲν ἂν λανθάνειν νομίζωμεν ὄντες κακοὶ, σπουδάζομεν γίνεσθαι βελτίους· ἐπειδὰν δὲ πᾶσι γνώμεθα κατάδηλοι, καὶ τὴν

Digitized by Google

ἐκ τοῦ λανθάνειν ἀπολέσωμεν παραμυθίαν, ἀναισχυντότεροι καὶ ῥαθυμότεροι μᾶλλον γινόμεθα. καὶ καθάπερ τὰ ἕλκη γυμνούμενα, καὶ ἀέρι ψυχρῷ συχνῶς ὁμιλοῦντα, χαλεπώτερα γίνονται· οὕτω καὶ ἡ ψυχὴ ἡ ἁμαρτηκυῖα, ἂν μεταξὺ πολλῶν ἐλέγχηται ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησεν, ἀναισχυντοτέρα γίνεται. ἵν' οὖν μὴ τοῦτο γένηται, λανθανόντως ὁ λόγος ὑμᾶς ἐθεράπευσε. *Verumtamen neque hi nobis, neque illi ſunt noti : atque hæc ignorantia prodeſt utriſque. Quo pacto id fiat, exponam. Qui laudes orationis audivit, & ſuæ diligentiæ conſcius eſt, ſi multos haberet laudum teſtes, in ſuperbiam laberetur : jam vero laudem clam excipiens ab omni oſtentatione eſt immunis. Rurſus is qui ſibi conſcius eſt negligentiæ, dum vituperationem audit, hac vituperatione fit melior, cum neminem ſuæ reprehenſionis habeat ſpectatorem. Hoc vero non mediocriter illi prodeſt : nam cum vulgi exiſtimationi ſimus addicti, quamdiu quidem latere nos putamus, qui mali ſumus, fieri meliores ſtudemus : poſtquam autem omnibus innotuimus, & ſolatium illud ex occultatione perdidimus, eo magis impudentes ac negligentes evadimus. Et quemadmodum quæ deteguntur ulcera, ſemperque frigido aeri exponuntur, acerbiora fiunt : ita quoque anima peccati rea, ſi coram multis, ob ea quæ deliquit, reprehendatur, impudentior evadit.*

Digitized by Google

Ne igitur hoc accideret, clam vos ſermo curavit.

Sed quid hæc ad confeſſionem peccatorum attinent? Nemini enim homini dubium ſubolere poteſt, quin neceſſe ſit concionatores, ne rempublicam miſceant, nominatim non deſignare, ſive indigitare homines peccatis inquinatos, quæ vehementius carpunt & inſectantur. Nec dubium eſt etiam, minus periculum fieri probri, ſi perſonæ prorſus ſint concionatoribus incognitæ. Nihil igitur in hac Oratione S. Chryſoſtomi eſſe videtur, quod non faciliter inducatur ori cujuſlibet concionatoris Romani, & confeſſionis auricularis patroni.

IX. Nonus aſſumitur ex Sermone LVIII. tom. v. pag. 772. lit. A. ἀλλ' αἰσχύνῃ καὶ ἐρυθριᾷς τὰ ἁμαρτήματα ἐξειπεῖν; μάλιστα μὲν εἰ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων ἔδει ταῦτα λέγειν καὶ ἐκπομπεύειν, οὐδὲ οὕτως αἰσχύνεσθαι ἔδει, (αἰσχύνη γὰρ τὸ ἁμαρτάνειν, οὐ τὸ ὁμολογῆσαι τὰ ἁμαρτηθέντα) νυνὶ δὲ οὐδὲ ἀνάγκη παρόντων μαρτύρων ἐξομολογεῖσθαι. παρὰ τοῖς λογισμοῖς τοῦ συνειδότος γινέσθω τῶν πεπλημμελημένων ἡ ἐξέτασις· ἀμάρτυρον ἔστω τὸ δικαστήριον· ὁ Θεὸς ὁράτω σε μόνος ἐξομολογούμενον, ὁ Θεὸς ὁ μὴ ὀνειδίζων τὰ ἁμαρτήματα, ἀλλὰ λύων τὰ ἁμαρτήματα ἀπὸ τῆς ἐξομολογήσεως. ἀλλὰ καὶ οὕτως ὀκνεῖς καὶ ἀναδύῃ; οἶδα κἀγώ, ὅτι οὐκ

ἀνέχεται τὸ συνειδὸς τῆς μνήμης τῶν οἰκείων πλημμελημάτων. ἂν γὰρ ἔλθωμεν μόνον εἰς ἀνάμνησιν τῶν πεπλημμελημένων ἡμῖν, καθάπερ πῶλός τις ἀδάμαστος καὶ δυσήνιος, σκιρτᾷ ἡ διάνοια. ἀλλὰ κάτασχε, χαλίνωσον, κατάψηχε τῇ χειρὶ, ἥμερον αὐτὴν ποίησον· πεῖσον ὅτι ἂν μὴ νῦν ἐξομολογήσεται, ἐκεῖ ἐξομολογήσεται, ὅπου πλείων ἡ κόλασις, ὅπου μείζων ὁ παραδειγματισμός. ἐνταῦθα ἀμάρτυρόν ἐστι τὸ δικαστήριον, καὶ σὺ σαυτὸν δικάζεις ὁ ἡμαρτηκώς· ἐκεῖ δὲ εἰς μέσον τὸ θέατρον τῆς οἰκουμένης ἅπαντα παραχθήσεται, ἂν μὴ προλαβόντες ἐνταῦθα αὐτὰ ἀπαλείψωμεν. *At verecundaris & erubeſcis enunciare peccata? Sane quidem ſi coram hominibus ea dicenda eſſent & evulganda, non tamen ita pudere te oportuit: (pudor enim eſt & ignominia peccare, non quæ peccaveris, confiteri) jam vero neque neceſſarium eſt teſtibus præſentibus confiteri. Apud conſcientiæ rationes fiat inquiſitio delictorum: ſine teſtibus ſit judicium: Deus te confitentem ſolus audiat, Deus qui peccata non exprobrat, ſed confeſſione peccata delet. At hoc pacto etiam pigritaris ac detrectas? Scio equidem conſcientiam ſuorum delictorum memoriam minime ferre. Nam ſi tantum ſubeat animum eorum quæ deliquimus recordatio, tamquam pullus quidam indomitus ac frænatu difficilis, mens reſilit. Sed tu coerce illam ac refræna, demulce manu,*

cicurem illam redde, perſuade fore, ut niſi nunc confiteatur, illic confiteatur, ubi major pœna, ubi diffamatio major. Hic judicium fit ſine teſtibus, ac tu ipſe in te judicium exerces, qui peccaſti: at illic in medium orbis terrarum cuncta producentur, niſi prius hic fuerint a nobis deleta.

RESPONS. Toto hujus Sermonis contextu probare nititur S. Chryſoſtomus, quantum animus concionatoris Chriſtiani ab adulatione & mellito ſermone alienus eſſe debeat; ſed econtra quantis viribus teneatur contendere, ut æterni terrore ſupplicii auditorum corda concutiat: quippe docet ejuſmodi timorem eodem modo peccata diluere, quo calor ſolis ceram: adeoque forti ac nervoſa, ut ſolet, eloquentia ſuis auditoribus ſuadet, ne memoria excidere permittant ſua delicta; ſed ut ea continuo ob oculos habere, & Deo confiteri nunquam deſiſtant, omni pudore ac vano probri timore poſtpoſito: quippe cum ejuſmodi confeſſio ſine teſtibus fiat, probrumque & contumelia, non ex confeſſione, ſed ex commiſſione peccati exſurgat. At vero ſanctus Doctor confeſſionem Deo factam confeſſioni auriculari ſeu Sacerdotibus faciendæ non opponit. Confeſſio enim, de qua mentionem facit,

Digitized by Google

non magis ſpectat homines peccato revera inquinatos, quam ab eo per pœnitentiam liberos & immunes, ſive juſtos & Dei gratia liberatos. Ejuſmodi autem confeſſionis ſpecies, eam de qua cum hominibus Proteſtantibus diſputamus, nihil attinet: non enim quæſtionem ponimus de illa confeſſione viris juſtis & Deo gratioſis neceſſaria; ſed econtra hominibus revera vitiis ac peccatis inquinatis, & ad Chriſti gratiam ac veniam peccatorum ſibi procurandam exercitiis pœnitentiæ laborantibus. Confeſſionem defendimus, quæ peccati contumelia expletos & vinculis implicatos homines ſolvit ac liberat: ſanctus vero Chryſoſtomus eam prædicat, quæ peccatum avertit, ſeu periculum quod in homines juſtos intenditur, propulſat: hæc reparat, altera ſervat. Duæ ſunt Chriſtiani hominis clavæ: hæc peccata domat, illa tuetur innocentiam. S. Chryſoſtomus ad poſterioris aſceſim fideles ac juſtos excitat, ac revera compellit. Eam enim confirmat exemplo S. Pauli dicentis: * *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*. Et, * *Chriſtus* JESUS *venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Qui quidem tunc temporis Deo gratioſus erat, & juſtitiæ ac innocentiæ acceſſionibus

* 1. Cor. c. 15. ℣. 9. * 1. Tim. c. 1. ℣. 15.

Digitized by Google

cumulatus, ut ipſemet obſervat S. Chryſoſt. ejuſdem Sermonis LVIII. pag. 773. οὐκ εἶπεν, ἤμην, ἀλλ' εἰμί. ἡ συγχώρησις ἐγένετο τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τῷ Θεῷ, καὶ ἡ μνήμη τῶν συγκεχωρημένων ἁμαρτημάτων οὐκ ἠφανίζετο παρὰ τῷ Παύλῳ· ἅπερ ὁ δεσπότης ἀπήλειψε, ταῦτα αὐτὸς ἐξεπόμπευεν. *Non dixit, eram, ſed, ſum. Facta erat remiſſio peccatorum apud Deum, & apud Paulum peccatorum memoria non delebatur. Quæ Dominus deleverat, hæc ipſe divulgabat.* Profert etiam exemplum ſancti Job viri juſti ac Deum timentis: *Quod ſi cum ſponte peccaſſem, expavi frequentiam multitudinis, ut non enunciarem peccata mea.* Præterea non eos tantummodo ad confeſſionem hortatur S. Chryſoſtomus, & ad conſcientiæ examen in lecto faciendum quotidie, qui peccato revera inquinantur; verum etiam ipſos juſtos, ac comparata venia ſuis culpis ac vitiis liberos, dum ait: *Judicium in lecto excitemus, ut Deum nobis propitium ejuſmodi habita quæſtione reddamus.* Conſtat igitur S. Chryſoſtomum eo loci ſpectare confeſſionem quæ peccatum avertit, non eam quæ innocentiam reſtituit, ac peccatum expungit. Sed dogma confeſſionem ejuſmodi conſtituens nihil contrarium habet aut inſociabile confeſſioni auriculari peccata commiſſa delenti ac propul-

propulſanti. Quis enim ex concionatoribus Romanis quotidie ad ejuſmodi confeſſionem ſingulis noctibus Deo faciendam impellentibus homines juſtos, & ad conſcientiæ examen inſtigantibus, in ſuſpicionem veniat repudiatæ confeſſionis auricularis? Cum igitur S. Chryſoſtomus infinitis locis remiſſionem peccatorum in Sacerdotum poteſtate poſitam recognoſcat, eoſque judices ac medicos animarum noſtrarum eſſe doceat, nullam denique diſſimilitudinem inter poteſtatem Chriſti & Sacerdotum conſtituat, ut jam ſupra demonſtravimus: quam inſulſum & ſupervacaneum ſit ejuſmodi locum S. Chryſoſtomi adverſus confeſſionem auricularem proferre, nemo non videt.

X. Ex Sermone LXVIII. de pœnitentia & mœſtitia Regis Achab, tomo v. pag. 1003. lit. C. ἁμαρτωλὸς εἶ; μὴ ἀπογνῷς, ἀλλ' εἰσῆθε μετάνοιαν προβαλλόμενος· ἥμαρτες; εἰπὲ τῷ Θεῷ ὅτι ἡμάρτηκα. ποῖος κάματος τοῦτο; ποία περίοδος; ποία στενοχωρία λόγον εἰπεῖν, ὅτι ἥμαρτον; μὴ γὰρ σὺ, σαυτὸν ἐὰν μὴ εἴπῃς ἁμαρτωλὸν, οὐκ ἔχεις κατήγορον τὸν διάβολον; πρόλαβε, καὶ ἅρπασον αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα, τὸ κατηγορεῖν. τί οὖν οὐ προλαμβάνεις αὐτὸν, καὶ λέγεις τὴν ἁμαρτίαν, καὶ ἐξαλείφεις τὸ ἁμάρτημα, εἰδὼς ὅτι τοιοῦτον κατήγορον ἔχεις σιγῆσαι μὴ δυνάμενον; ἥμαρτες;

P

Digitized by Google

εἴσελθε εἰς τὴν ἐκκλησίαν, εἰπὲ τῷ Θεῷ ὅτι ἥμαρτον. οὐδέν σε ἄλλο ἀπαιτῶ, ἢ τοῦτο μόνον. ἡ γὰρ θεία γραφή φησι· λέγε σὺ τὰς ἀνομίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς· εἰπὲ τὴν ἁμαρτίαν, ἵνα λύσῃς τὴν ἁμαρτίαν. *Peccator es? ne deſpondeas animum, ſed ingredere, ac pænitentiam obtende. Peccaſti? Dic Deo, Peccavi. Quis hic labor eſt? quis circuitus? quæ fatigatio? quæ anguſtiæ, verbum hoc proferre, Peccavi? Num enim tu, niſi te ipſum dixeris peccatorem, a Diabolo non accuſaberis? præoccupa, & eripe illi ſuam dignitatem accuſatoris. Cur igitur illum non prævenis, & peccatum dicis, & crimen purgas, cum probe ſcias talem accuſatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere? Peccaſti. In Eccleſiam ingredere, dic Deo, Peccavi? Nihil aliud abs te niſi ſolum iſtud exigo. Ait enim Scriptura ſacra: Dic tu primus iniquitates tuas, ut juſtificeris: dic peccatum, ut ſolvas peccatum.*

RESPONS. Cum hic locus integer fere exſcriptus ſit ex Sermone IX. de Pœnitentia, ſive LVII. tomi I. Operum S. Chryſoſtomi, quem numero IV. hujuſce capitis enucleavimus, objectionem ex eo aſſumptam iterum diluere parum neceſſe videtur. Verumtamen cum Dallæus iterare objectionem non pertimeſcat, ſolutionem paucis amplificare ſupervacaneum non erit. Dico igitur,

Digitized by Google

eo Sermone S. Chryſoſtomum adhortari Fideles, ſive revera peccato inquinatos, ſive ab eo immunes & juſtos ac gratia exornatos, uti ſe peccatores recognoſcant, juxta illud Scripturæ * : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Adeoque ſigillatim non ſpectare confeſſionem neceſſariam ad obtinendam peccatorum commiſſorum veniam; ſed indiſcriminatim eam, qua ſe humili doloris ſenſu peccator reum agnoſcens, & commiſſa dolet, & committenda avertit ac propulſat. Hoc enim intelligimus ex conceptis hujuſce Sermonis verbis: *Sive enim peccator ſis, ingredere in Eccleſiam, ut peccata tua dicas: ſive juſtus ſis, ingredere, ne a juſtitia excidas. Portus enim eſt utrique Eccleſia.* Ex Davidis exemplo, quod continuo ſermone profert, abundanter perſpicimus, per confeſſionem eo loci ſignificare delicti recognitionem, quod plerique ignorabant. Enimvero David adulterium quod patrarat, ante admonitionem Prophetæ Nathan peccatum non reputabat, ſeu ſe peccaſſe non noverat. Καὶ ἦν ὁ προφήτης ἐν μοιχείᾳ, ὁ μαργαρίτης ἐν βορβόρῳ· ἀλλ' οὔπω ᾔδει ὅτι ἥμαρτεν, οὕτως ἦν κεκαρωμένος τῷ πάθει. *Et erat in adulterio Propheta, in me-*

* 1. Ioan. cap. 1. ℣. 8.

dio luto margarita. Verumtamen ſe peccaſſe non noverat : adeo perturbatione animi ſopitus erat. Et paulo inferius : τί οὖν ὁ Δαβὶδ ; ἐμοίχευσεν· ἀλλ᾽ οὐκ ᾔδει, οὔτε ἐλέγχετο ὑπό τινος. *Itaque commiſit adulterium David : ſed neſciebat, neque ab ullo arguebatur.* Igitur ad ſimplicem peccati cognitionem comparandam hortatur Chryſoſtomus homines, qui ex ignorantia peccare conſueverant, ſeu ſe peccata graviſſima committere non noverant. Sed hæc confeſſionis auricularis Sacerdoti faciendæ dogmati neutiquam repugnant ; immo vero maxime accommodata videntur: neceſſe enim eſt peccatum cognoſcere, antequam confitearis. At inquit Dallæus : *Negat diſerte ſe aliud a peccatore requirere*, uti ex his verbis perſpectum eſt, *Nihil aliud abs te niſi ſolum iſtud exigo*, poſtquam dixit : *Ingredere in Eccleſiam , dic Deo, Peccavi.* Ergo præter generalem & ſimplicem peccati recognitionem aliam confeſſionem peccatorum non intellexit Chryſoſtomus. Sed luce meridiana clarius patet, S. Chryſoſtomum rem quam tractat, eloquentia qua pollet ſublimi exaggerare. Enimvero cum ex ſincera & perfecta peccati cognitione doloris ſenſus ac ſinceræ reſipiſcentiæ conſequatur affectus , hanc peccati cognitionem præſertim & unice deſide-

Digitized by Google

rat, ex qua dolorem, ſeu contritionem, confeſſionem & reliquas pœnitentiæ partes conſectaneas fore non dubitat. Hac quippe dicendi & agendi ratione ait eodem Sermone: ταπεινοφρόνησον, καὶ ἔλυσας τὰς σειρὰς τῶν ἁμαρτιῶν. *Humilis eſto, & peccatorum vincula ſolviſti.* Licet præterea deſideret *Deo dici peccatum*, & *in Eccleſiam ingreſſum*. Sic eleemoſynam oratione exaggerat omni virtutum genere exaggeratus Chryſoſtomus Homilia IX. de Pœnitentia, ex qua pene exſcripta eſt LXVIII. de pœnitentia & mœſtitia Regis Achab. Pag. 627. tom. I. *Ita ergo quotquot talia habueris peccata, eleemoſyna tua omnibus eſt gravior.* ὥστε οὖν ὅσας ἔχεις ἄλλας ἁμαρτίας, ἡ ἐλεημοσύνη σου βαρεῖ τὰς ὅλας. Et ibidem pag. 626. *Et quænam ea eſt? Eleemoſyna, Regina virtutum, homines celerrime ipſorum in cælorum axes adducet, advocati optimi loco fungens.* ποίαν δὲ ταύτην; λέγω δὴ τὴν ἐλεημοσύνην τὴν βασιλίδα τῶν ἀρετῶν, τὴν ταχέως ἀνάγουσαν εἰς τὰς ἀψῖδας τῶν οὐρανῶν τοὺς ἀνθρώπους, τὴν συνήγορον τὴν ἀρίστην. Similiter orationis donum amplificat eadem Homilia IX. de Pœnitentia pag. 629. ὅτι δὲ εὐχὴ ἀφίησιν ἁμαρτίας, ἐκ τῶν θείων εὐαγγελίων τούτο παιδεύθητι. *Quod autem oratio peccatum dimittat, vel ex divinis Evangeliis diſce.* Quis tamen ex his concludat,

Digitized by Google

ipſum præter eleemoſynam & orationem nullum intellexiſſe peccatorum noſtrorum antidotum : quippe cum Homilia XXXIX. adverſus Judæos tomo I. pagin. 473. lit. E. de caritate erga proximum dicat : ὅπερ οὐδὲ νηστεία, οὐδὲ χαμευνία, οὐδὲ παννυχίδες, οὐκ ἄλλο τι δύναται ἐργάσασθαι, τοῦτο ἡ τοῦ ἀδελφοῦ σωτηρία ποιεῖ. ἐννόησόν σου τὸ στόμα, πόσα πολλάκις ἥμαρτε, πόσα ἐφθέγξατο αἰσχρὰ ῥήματα, πόσας βλασφημίας, πόσας λοιδορίας ἐξέβαλε; καὶ πάντως ἀντιλήψῃ τῆς τοῦ πεπτωκότος προνοίας. διὰ γὰρ ἑνὸς τούτου τοῦ κατορθώματος, πᾶσαν ἐκκαθᾶραι δυνήσῃ τὴν κηλῖδα ἐκείνην. *Quod neque jejunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigilia, neque aliud quidpiam poteſt efficere; id efficit fratris procurata ſalus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccaverit, quam multa verba obſcœna protulerit, quam multa convicia, quam multa maledicta evomuerit, & omnino ſuſcipies collapſi curam. Nam hoc uno benefacto omnem illam delere maculam poteris.*

XI. *Eandem quoque doctrinam*, inquit Dallæus, *habet in Matthæum orationem Dominicam interpretans*. Homilia XX. in caput 6. pag. 200. lit. A. εἶτα, ἐπειδὴ συμβαίνει καὶ μετὰ τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας ἁμαρτάνειν, πολλὴν καὶ ἐνταῦθα τὴν φιλανθρωπίαν αὐτοῦ ἐπιδεικνύμενος,

κελεύει περὶ τῆς τῶν ἁμαρτημάτων τούτων ἀφέσεως προσιέναι τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ, καὶ λέγειν οὕτως· ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. Εἶδες φιλανθρωπίας ὑπερβολήν; μετὰ τοσούτων κακῶν ἀναίρεσιν, καὶ δωρεᾶς μέγεθος ἄφατον, πάλιν ἁμαρτάνοντας ἀξιοῖ συγγνώμης. *Deinde, quia contingit, ut etiam poſt regenerationis lavacrum delinquamus, plurimum hic quoque miſerationis oſtendens, etiam pro horum peccatorum remiſſione ad miſericordem Deum accedere jubet, ac ſic dicere: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Vidiſti miſericordiæ cumulum, poſt tantorum quippe abolitionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoſcere. Neque hic aliud,* perſequitur Dallæus, *ad conſequendam delictorum remiſſionem ac veniam exigit vir ſanctus, niſi ut eam a Domino confitentes petamus.*

RESPONS. Fatentur libenter omnes Eccleſiæ Romanæ Theologi, Dominicæ orationis ope veniam peccatorum procurari; ſed hæc repugnare dogmati confeſſionem auricularem conſtituenti ad eamdem veniam comparandam pernegant. Hanc vero doctrinam ex continuis S. Chryſoſtomi verbis eodem loci prolatis intelligunt. εἰ τοίνυν πιστοῖς

Digitized by Google

προσήκει ἡ εὐχή· εὔχονται δὲ οὗτοι ἁμαρτήματα ἑαυτοῖς ἀφεθῆναι δεόμενοι, δῆλον ὅτι οὐδὲ μετὰ τὸ λουτρὸν ἀνῄρηται τῆς μετανοίας τὸ κέρδος. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο ἐβούλετο δεῖξαι, οὐκ ἂν τοῦτο ἐνομοθέτησεν εὔχεσθαι. *Si igitur Fidelibus hæc aptatur oratio; orant autem & ligati, ut ſua peccata donentur: manifeſtum eſt, quia neque poſt Baptiſma remedium pœnitentiæ denegetur. Niſi enim hoc docere voluiſſet, numquam ſic præcepiſſet orare.* At vero qui ſunt ligati, δεδεμένοι, ab iis qui poteſtatem ligandi & ſolvendi acceperunt, ligati ſunt, quam Chriſtus Petro reliquit, Matthæi XVI. ℣. 19. καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Et Apoſtolis cap. XVIII. ℣. 18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Porro ita ſe rem habere docet ipſe S. Chryſoſtomus libris de Sacerdotio, & aliis a nobis citatis locis ſupra: adeoque manifeſte conſtat, non ſolitariam orationem Dominicam eſſe peccatorum alexipharmacum intellexiſſe, ſed ipſam pœnitentiam, & remiſſionem a Sacerdotibus procuratam.

XII. Ex Homilia XXVIII. in primam ad Corinthios, qua explicat hæc verba Apoſtoli, *Probet autem ſeipſum homo*, &c. Sed cum hæc objectio ab ea quam diluimus ſupra numero III. non differat, amplius in ea morari non opus eſt.

XIII. Ultimus locus aſſumitur ex Homilia XXXI. in caput XII. Epiſtolæ ad Hebræos pag. 1956. πείθωμεν ἑαυτοὺς, ὅτι ἡμάρτομεν. μὴ τῇ γλώττῃ λέγωμεν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ διανοίᾳ· μὴ ἁμαρτωλοὺς καλῶμεν ἑαυτοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἀναλογιζώμεθα, κατ' εἶδος ἕκαστον ἀναλέγοντες. οὐ λέγω σοι, ἐκπόμπευσον σαυτὸν, οὐδὲ παρὰ τοῖς ἄλλοις κατηγόρησον, ἀλλὰ πείθεσθαι συμβουλεύω τῷ προφήτῃ λέγοντι· Ἀποκάλυψον πρὸς κύριον τὴν ὁδόν σου. ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ταῦτα ὁμολόγησον, ἐπὶ τοῦ δικαστοῦ ὁμολόγει τὰ ἁμαρτήματα, εὐχόμενος, εἰ καὶ μὴ τῇ γλώττῃ, ἀλλὰ τῇ μνήμῃ, καὶ οὕτως ἀξίου ἐλεηθῆναι. *Perſuadeamus nobis ipſis, quod peccavimus. Non lingua ſolum dicamus, ſed etiam mente ac cogitatione. Ne nos dicamus peccatores, ſed etiam peccata recenſeamus, ſpeciatim unumquodque enumerantes. Non tibi dico ut ea tamquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuſes, ſed ut pareas Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam. Apud Deum ea confitere, apud judicem confitere peccata tua, orans, ſi non lingua, ſaltem memoria: & ita roga ut tui miſereatur.*

Peccatori, ut vides, inquit Dallæus, *Domini miſericordiam pollicetur apud unum Dominum, vel ſola mente ac memoria confitenti & precanti.*

RESPONS. Hujuſce Homiliæ moralis integra dedita opera conſcripta eſt adverſus eos qui peccata ſua nec fateri nec recognoſcere volunt. *Scio*, inquit, *quod reſiliat conſcientia, & non patiatur ſe flagellari a memoria malorum : ſed fortiter ſtringe animam, & chamum ei impone. Difficiliter enim tolerat ſicut equus effrenatus, nec vult ſibi perſuadere quod peccaverit. Hoc totum plene eſt ſatanicum.* οἶδα ὅτι ἀποπηδᾷ, καὶ οὐκ ἀνέχεται τὸ συνειδὸς ὑπὸ τῆς μνήμης μαστίζεσθαι τῶν κακῶν. ἀλλ' ἄγξον τὴν ψυχήν, καὶ ἐπίθες αὐτῇ κημόν· καθάπερ γὰρ ἵππος δυσήνιος, οὕτως δυσαναχετεῖ, καὶ οὐ βούλεται πεῖσαι ἑαυτήν, ὅτι ἥμαρτε. τοῦτο δὲ ὅλον ἐστὶ σατανικόν. Quod vero interrtrimentum hæc adferunt confeſſioni auriculari, & quid vetat S. Chryſoſtomum eam recognoſcere & admittere ? cum præſertim Sacerdotum autoritatem prædicet, & poteſtatem ligandi ac ſolvendi peccata eis a Chriſto conceſſam paſſim doceat. Ipſe Dallæus fatetur ingenue, nec hunc locum, nec cæteros ſupra explicatos uſui confeſſionis auricularis obeſſe : ſed ſolummodo defendit impoſitæ neceſſitati confeſſionis officere. Libri IV. de Confeſſione capite 32. *Ejus neceſſitatem ubique tollit, ac evertit, uſum nuſquam damnat.* Et infra eodem capite pag. 505. *Quæ loca*,

inquit, (Chryſoſtomi ſcilicet) *ut quivis intelligit, neceſſitatem ſolam confeſſionis apud hominem, ſive apud homines faciendæ tollunt; nemini libertatem eripiunt peccata apud Paſtorem, ſi ita velit, confitendi.* Inſuper etiam toto contextu hujus capitis, quod hic exſcribere tædio eſſet, fatetur hæc omnia non repugnare neceſſitati confeſſionis peccatorum publicorum & capitalium apud Sacerdotes Eccleſiæ, quam ætate S. Chryſoſtomi omnibus Fidelibus poſt peccatum lapſis impoſitam fuiſſe recognoſcit. Quæ cum ita ſint, nullus dubitandi locus relinqui poteſt, quin etiam eadem ætate arcana & recondita peccata confiteri apud Sacerdotes non ſolum uſu receptum, verum etiam neceſſe fuerit. Enimvero jus ac poteſtatem Sacerdotum, peccatorum publicorum finibus numquam circumſcribit S. Chryſoſtomus: immo ſemper de peccatis publicis & occultis eadem autoritate delendis promiſcue & indiſcriminatim mentionem facit. Hoc enim luce meridiana clarius intelligimus ex libro III. de Sacerdotio ſupra laudato capite XII. & ex Homilia XVII. in Matthæum, qua diſerte denunciat, communione interdictum iri plebi Chriſtianæ pro peccatis occultis, adeoque confeſſis. (nam de iis judicium ferre alias

Sacerdotes non potuiſſent) Quiſquis enim paulo attentius legere voluerit hanc Homiliam, totam conſcriptam eſſe faciliter animadvertet, adverſus homines pravis cogitationibus traditos, obſcœnis aſpectibus mulierum inquinatos, atque aliis ſceleribus occultis & reconditis pollutos; nec pertimuiſſe Chryſoſtomum templorum vacuitatem, aut ſolitudinem exſurgentem ex innumerabili multitudine pœnitentium, & communione carentium, extra fores Eccleſiæ veniam deprecantium. κἂν ἐπιμένοντας ἴδω, ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων, καὶ τῶν ἀθανάτων μεταλαβεῖν μυστηρίων, ὥσπερ τοῖς πορνεύουσι καὶ μοιχεύουσι, καὶ ἐπὶ φόνοις ἐγκαλουμένοις. καὶ γὰρ βέλτιον μετὰ δύο καὶ τριῶν τοὺς τοῦ Θεοῦ φυλαττόντων νόμους τὰς συνήθεις ἀναφέρειν εὐχὰς, ἢ πλῆθος ἐπισύρεσθαι παρανομούντων καὶ τοὺς ἄλλους διαφθειρόντων. *Si videro vos in iiſdem manentes, etiam interdicam omnino vobis ſacri iſtius ingreſſionem veſtibuli, & immortalis participationem myſterii, ſicut fornicatoribus & adulteris, & his qui de homicidiis arguuntur. Melius namque eſt cum duobus ac tribus divinæ legis præcepta ſervantibus orationes Deo offerre ſolitas: quam inique agentium, cæteroſque corrumpentium multitudinem congregare.*

Digitized by Google

Quæ cum ita ſint, ex his directe conficitur, ejuſmodi loca S. Chryſoſtomi non minus negotii faceſſere hominibus Proteſtantibus, quam Catholicis viris. Enimvero niſi explicationes a nobis expoſitæ accipiantur, & ſi hæc verba S. Chryſoſtomi, *Dic Deo ſoli peccatum tuum, ſine teſtibus, non conſervo qui exprobret, intus in conſcientia, nemine præſente, id ſolum exigit;* ex quibus integræ vires ac nervi rerum à Dallæo objectarum coaleſcunt, confeſſionem ſoli Deo faciendam ſtrictim & unice conſtituant: non minus neceſſitati confeſſionis publicæ peccatorum publicorum, (quam ſuperſtitio Calviniana non repudiat) quam ſecretæ occultorum repugnant.

CAPUT XIV.

Quædam minoris momenti ex S. Chryſoſtomo objecta, continua explicatione diluuntur.

I. His jam retuſis arietibus, quædam leviora a Dallæo ex eodem S. Chryſoſtomo paſſim objecta prætermittere non debemus, quæ ſibi adverſus confeſſionem

auricularem valde propitia & accommodata exiſtimat libri IV. de Confeſſione capite 12. pag. 393. quo pluſquam poteſt revera contendit, ut ætate S. Chryſoſtomi receptam uſu non fuiſſe ejuſmodi peccatorum apud Sacerdotes confeſſionem demonſtret. Profert in hanc rem hæc verba libri II. de Sacerdotio capite 2. quæ ſibi perſuadet ori S. Chryſoſtomi inſulſe prorſus ac perperam induci, ſi ex confeſſionibus in aurem ſibi factis peccata recondita reſciviſſet. τὰς δὲ τῶν ἀνθρώπων ἀῤῥωστίας, πρῶτον μὲν οὐκ ἔστιν ἀνθρώπῳ ῥᾴδιον ἰδεῖν. οὐδεὶς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ. πῶς οὖν τις προσαγάγοι τῆς νόσου τὸ φάρμακον, ἧς τὸν τρόπον οὐκ οἶδε; *Principio hominum morbos haud facile eſt noſſe. Nemo enim hominum ea quæ ſunt hominis, novit præter ſpiritum hominis qui in ipſo eſt. Qui igitur pharmacum adhibere quis poſſit morbo ei, cujus curationem & genus nequaquam intelligat?*

Sed profecto mihi videtur incredibile, hominem mente non captum, ſi ſemel in Chryſoſtomi libros oculum conjecerit, ejuſmodi objectionem ponere. Quis enim dubitat cordis humani infinitos eſſe mæandros, & immenſam eſſe voraginem, ac profundum gurgitem vitiorum turpitudinumque om-

Digitized by Google

nium, atque ita ſemper a viris prudentibus ac ſapientibus viſum iri, quantumvis auricularis confeſſio lege ſancita atque uſu generali omnium gentium recepta fuerit? Immo vero ex hac cordis humani penetrandi difficultate aſſumit concluſionem S. Chryſoſtomus, quæ confeſſionis auricularis neceſſitatem & uſum invictiſſime conſtituit. *Quamobrem*, ait, *multa quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi ipſi perſuadeant Sacerdotum curationibus ſeſe ſubmittere oportere: neque id ſolum, ſed ut etiam curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Ex eodem principio ibidem colligit, quamvis opera carnis manifeſta ſint, omnia conſcientiæ repagula Sacerdotis examini ac diſcuſſioni debere ſubjici. *Itaque nihil horum relinquendum eſt, quod probe non excutiat atque examinet Epiſcopus: quin omnia accurate ac ſtudioſe perſcrutatum tum demum illum oportet ſua ipſius remedia congrue, apte, accommodate afferre.* Hæc Græce hic ſcribere non neceſſe eſt, quæ jam capite XII. hujus libri relata ſunt. Sed hæc quæ continenti ſermone habet, prætermittere nefas eſt, quibus Confeſſariorum & Paſtorum Eccleſiæ catholicæ partes & officia mirabiliter exprimit. Διὰ τοῦτο πολλῆς δεῖ τῷ συνιέσεως τῷ

ποιμένι, καὶ μυρίων ὀφθαλμῶν, πρὸς τὸ περισκοπεῖν πάντοθεν τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν. ὥσπερ γὰρ εἰς ἀπόνοιαν αἴρονται πολλοὶ, καὶ εἰς ἀπόγνωσιν τῆς ἑαυτῶν καταπίπτουσι σωτηρίας, ἀπὸ τοῦ μὴ δυνηθῆναι πικρῶν ἀνασχέσθαι φαρμάκων· οὕτως εἰσί τινες, οἳ, διὰ τὸ μὴ δοῦναι τῶν ἁμαρτημάτων τιμωρίαν ἀντίῤῥοπον, εἰς ὀλιγωρίαν ἐκπίπτουσι· καὶ πολλῷ γίνονται χείρους, καὶ πρὸς τὸ μείζονα ἁμαρτάνειν προάγονται. *Quocirca multa quidem opus eſt Paſtori prudentia, ſexcentis etiam, ut ſic dicam, oculis: ut recte undique humani animi habitum circumſpicere poſſit. Nam ſicut aliquoties uſuvenit, ut animum plerique deſpondeant, atque in ſuæ ſalutis proruant deſperationem, non ob aliud, niſi quod ab amaris acerbiſque medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipſo quod pœnas peccatis ſuis pares non luerint, in negligentiam, ac contemptum dilabantur, ac longe deteriores facti, majorem peccandi licentiam ſibi vendicent.* Quis enim non videat ibi peccata occulta æque ac manifeſta perſtringi, adeoque debuiſſe ad curationem procurandam Sacerdotibus æquabiliter ſubjici?

II. Eodem capite 12. ſcilicet libri IV. de Confeſſione, alterum locum S. Chryſoſtomi profert Dallæus ex capite 4. libri VI. de Sacerdotio, non magis propitium ac ſuæ opinioni

nioni tuendæ conducibilem, his verbis conceptum : *Peccatorum autem quæ ſubditorum quiſque commiſerit, Epiſcopo ſive Paſtori ne minima quidem pars nota eſſe poteſt.* τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδὲ τὸ πολλοστὸν αὐτοῖς μέρος δυνατὸν γενέσθαι καταφανές. Ex his vero concludit, nullius peccatoris confeſſionem excepiſſe Epiſcopos aut Paſtores : quippe cum ejus ope peccata ſibi revelata faciliter cognoviſſent.

Sed cum hæc verba facile in ætatis noſtræ Epiſcopos & nonnullos majorum urbium Paſtores transferri poſſent, qui non ſecus ac ætate S.Chryſoſtomi pleroſque homines ſuæ curæ commiſſos ne quidem de facie noverunt : πῶς γὰρ, ὧν τοὺς πλείονας οὐδὲ ἐκ προσόψεως ἴσασι; *qui enim nota foret, cum illorum complures ne de facie quidem ille noverit?* ſatis patet quam abſurdum ſit, ejuſmodi concluſionem aſſumere, praximque contrariam confeſſioni auriculari tempori S. Chryſoſtomi vendicare : ſiquidem æquabili jure uſus confeſſionis auricularis ætate noſtra ignotus exiſtimari poſſet.

III. Eodem recidit locus a Dallæo objectus ex Homilia v. ejuſdem Patris in Epiſtolam 1. ad Timotheum. οἱ ἱερεῖς οὐ πάντας ἴσασι τοὺς ἁμαρτωλοὺς, καὶ ἀναξίως τῶν μυστη-

είων μετέχοντας. Sacerdotes non norunt omnes peccatores, & indigne myſteria percipientes. De quo ait Miniſter, *Quidni norint, ſi omnes peccatores omnia ſua delicta iis confiteantur, & accurate recenſeant?*

Sed reſponſio facilis eſt, S. Chryſoſtomum conqueri de peccatoribus indigne ſacrum Chriſti corpus ſumentibus, ſeu ſine doloris ſenſu ac morum corruptorum emendatione, vix hebdomade Paſchatis ad Euchariſtiam accedentibus, adeoque omni pœnitentia poſtpoſita atque relicta. Ejuſmodi autem querimoniæ multitudine innumerabiles peccatores ætate noſtra locum ampliſſimum dare videntur: qui quamvis adulteria, fornicationes, daniſtias, cæteraque crimina in aures Sacerdotum liberaliter effundant, ad meliorem frugem non revertuntur; ſed infinita peccata communionis & confeſſionis ad normam veræ pœnitentiæ male compoſitæ, ac ſæpe ſacrilegæ acceſſionibus cumulant. Quis tamen ex agendi ratione tam iniqua & impia colligat, ætate noſtra confeſſionis auricularis uſum abrogatum fuiſſe? & ex eo quod plerique homines ejuſmodi criminibus inquinati, Epiſcopis & Sacerdotibus ſigillatim non ſint noti, concludat ſimiliter, confeſſionis uſum

Digitized by Google

nec receptum, nec notum eſſe ? Eandem explicationem inducimus verbis ejuſdem S. Chryſoſtomi, quæ ex Homilia XXIV. tomi I. de Baptiſmo Chriſti, objectat Dallæus : *Eos vero qui nobis ignoti ſunt, Deo relinquemus, qui mentis cujuſque ſecreta novit.* τοὺς δὲ ἀγνώστους ἡμῖν τῷ Θεῷ καταλείψομεν τῷ τὰ ἀπόρρητα τῆς ἑκάστου διανοίας εἰδότι. Hæc enim omnia prodidit S. Chryſoſtomus, ut negligentiam Fidelibus exprobraret, qui celatis animi morbis atque occultis vulneribus, ſive peccatis Sacerdotibus non explicatis, curationibus eorum ſeſe non ſubmittunt. Quamobrem rectæ rationi multo congruentiùs videtur ejuſmodi locis confeſſionem auricularem ſtabilire ac confirmare, quam eandem convellere & infirmare.

IV. Eodem capite difficultatem ponit Dallæus, qua nos extricare non valde arduum eſt, aſſumptam ex Homilia I. S. Chryſoſtomi contra Judæos, quæ eſt XXXIV. tomi I. pag. 392. lit. B. πιστεύσατε, τὴν κεφαλὴν πρότερον ἀποθήσομαι, ἢ περιόψομαί τινα τῶν τὰ τοιαῦτα νοσούντων, ἐὰν ἴδω· ἐὰν δὲ ἀγνοήσω, συγγνώμην ὁ Θεὸς δώσει πάντως. *In capitis diſcrimen prius adducar, credite, quam ullum iſtiuſmodi morbo oppreſſum negligam, ſi videro. Sin me latebit : Deus omnino ignoſcet.* Ad quam obſer-

Digitized by Google

vat, S. Patrem hortari plebem Chriſtianam, ut Judaizantes homines proderet, & ait: *Quid opus erat id negotii laicis hominibus dare, ſi confeſſio apud iſtos in uſu erat?* Sed cum potiſſimum arguat Chriſtianos, qui omni reſipiſcentia poſtpoſita, in Judaicos errores recidebant, homines alloquitur, quorum vitia ope confeſſionis ei patefieri non poterant. Adeoque mirum non eſt, S. Chryſoſtomum hac via confeſſionis eorum peccata perſpecta non habuiſſe; ſed laicis hominibus negotium dediſſe, ut eos explorarent, & ejuſmodi erroribus inquinatos Eccleſiæ renunciarent.

CAPUT XV.

Explicantur Marcus Eremita, & Innocentius Papa I.

ORDINE ſuo venit opportune Marcus Eremita poſt S. Chryſoſtomum, cujus credibile & probabile eſt diſcipulum fuiſſe. Hunc tamen in ſæculum nonum relegat Dallæus, ſed perperam & immerito. Incogitabile enim eſt, Photium doctiſſimum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, ſibique

æqualem, ſi nono ſæculo vixit, tanquam veterem & antiquum Scriptorem illum recen ſuiſſe. Quod tamen intelligimus ex codice cc. Bibliothecæ Photii, quo laudat opera aſcetica Marci Eremitæ, & mentionem facit lucubrationum adverſus Melchiſedecianos (de quibus ſcripſerunt S. Epiphanius & S. Auguſtinus) eo ſæculo vix cognitos; adeoque adverſus quos laborare non minus abſurdum fuiſſet, quam ſi quis hodie dedita opera Pattaloſynchitas, aut eoſdem Melchiſedecianos opere denſo confutaret.

I. At vero ex præſcriptis ab eo Marco faciendæ confeſſionis regulis intelligimus, ejus ætate uſu valde receptam fuiſſe. Enimvero admonet, ne ſub ſpecie confeſſionis accurate faciendæ diabolus in memoriam & mentem noſtram revocet pravas imagines ac ſimulacra peccatorum, atque eis ob oculos poſitis obſcœnas cogitationes excitet, focumque libidinis accendat. Quippe ſic fatur libro ſub titulo *de iis qui putant ſe ex operibus juſtificari.* prima vice publici juris facto Pariſiis typis Græcis Guillelmi Morelli anno MDLXIII. pag. 69. numero 139. & 140. *αἱ παλαιαὶ ἁμαρτίαι κατ᾽ εἶδος μνημονευθεῖσαι, βλάπτουσι τὸν εὔελπιν· μετὰ λύπης μὲν γὰρ ἀποδοθεῖσαι, τῆς ἐλπίδος ἀφιστῶσιν. ἀλύπως δὲ ἐξεικο-*

νιαθεῖσαν, τὸν παλαιὸν μολυσμὸν ἐναποτίθεται): ὅταν ὁ νοῦς κρατήσῃ δι' ἀρνήσεως τὴν μονολόγιστον ἐλπίδα, τότε ὁ ἐχθρὸς προφάσει ἐξομολογήσεως, τὰ προγεγραμμένα κακὰ ἐξεικονίζει, ἵνα τὰ χάριτι Θεοῦ ἐπιλησθέντα πάθη ἀναζωπυρήσῃ, καὶ λεληθότως ἀδικήσῃ τὸν ἄνθρωπον· τότε γὰρ κἂν φαιδρὸς καὶ μισοπαθὴς ὑπάρχῃ, ἐξ ἀνάγκης σκοτισθήσεται, συγχεθεὶς ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις. κἂν ὁμιχλώδης ἔτι, καὶ φιλήδονος εἴη, συγχρονίσει πάντως καὶ ἐμπαθῶς προσομιλήσει τῇ προσβολῇ, ὡς πρόληψιν εὑρεθῆναι τὴν τοιαύτην μνήμην, καὶ οὐκ ἐξομολόγησιν. ἂν θέλῃς Θεῷ προσφέρειν ἀκαταγνώστως ἐξομολόγησιν, μὴ μνημόνευε κατ' εἶδος τὰς παρατροπάς· λίαν γὰρ μολύνεις τὴν διάνοιαν· ἀλλ' ὑπόμενε γενναίως τὰς τούτων ἐπαγωγάς. *Præterita peccata ſpecie quadam memoria repetita nocent homini in bona ſpe conſtituto: nam cum triſtitia apparentia a ſpe abducunt: ſine triſtitia autem ſub imagine quadam concepta in animo, veteri inquinatione hominem contaminant. Cum mens per vitiorum abnegationem & renunciationem ſpem unice conſiderandam apprehenderit, tunc inimicus ſub confeſſionis prætextu ante menti impreſſa vitia effingit, ut affectus gratia Dei oblivioni traditos iterum incenſos exſuſcitet, & hominem latenter injuria afficiat. Tunc enim ſi clarus & affectibus inimicus exiſtat, neceſſario obtenebra-*

Digitized by Google

bitur, detentus & confuſus propter perpetrata vitia. Et ſi nebuloſus adhuc, & voluptatum amans fuerit, omnino una perſeverabit, & affecto animo cum occurrentibus affectionibus familiaritatem contrahet: ut mentis anticipatio talis memoria, & non confeſſio inveniatur. Itaque ſi volueris Deo offerre irreprehenſibilem confeſſionem, ſecundum ſpeciem errorum non recorderis, (nam valde inquinares animum) verum illorum illecebras generoſe perferto. Verum adeo ex his intellexit Dallæus confeſſionem auricularem, ut ſic loquatur lib. IV. de Confeſſione capite 41. pag. 544. *Hæc quidem ille,* (ſcilicet Marcus) *tum primulum incipientem delicta omnia ſigillatim confitendi uſum damnans, acuteque proſpiciens, quantam illa conſuetudo piorum animis labem afferat.* Quod confirmat his ejuſdem tractatus verbis: ὁ γνωστικὸς καὶ εἰδὼς τὴν ἀλήθειαν οὐ διὰ μνήμης τῶν πραχθέντων, ἀλλὰ δι' ὑπομονῆς τῶν ἐπερχομένων ἐξομολογεῖται τῷ Θεῷ. *Scientia præditus, quique veritatem novit, nequaquam memoria rerum factarum, ſed tolerantia rerum contingentium, confitetur Deo.* Sed falſum eſt, ab hoc Autore condemnari uſum confeſſionis peccatorum ſigillatim. Etenim hæ voces Græcæ κατ' εἶδος non ſignificant *ſigillatim*; ſed *ſecundum ſpeciem, ſecundum formam & ima-*

ginem : quæ quidem ſcelerum imagines dum repræſentantur, mentem caſtam libidinis fœtore conſpurcare ſolent. *Secundum ſpeciem errorum ne recorderis, nam inquinant animum.* Si *ſigillatim* ſignificare voluiſſet, καθ' ἕκαστον, non κατ' εἶδος dixiſſet; multum enim diſſimilitudinis habent confeſſio peccatorum ſigillatim, & eorumdem ſecundum ſpeciem repræſentatio. Confiteri optimum, nimis repræſentare & oculis offerre pernicioſum eſt.

II. Idem Autor praxim confitendi peccata magis arcana, ſeu cogitationes pravas, ſuo tempore invaluiſſe nos docet libro de Baptiſmo, quo nervoſe frangit opinionem eorum, qui ſibi perſuadebant Deum cauſam eſſe in nobis pravarum cogitationum. Ait quippe nihil eſſe delectabilius, hoc eſt, inſidioſius opinione quæ peccatum cogitationis a nobis extraneum ſubjicit. Lege libro de Baptiſmo pagina 170. τί γὰρ ταύτης ἡδυπαθέστερον ἀλλοτρίαν τὴν λογικὴν ἁμαρτίαν ὑποτιθεμένης, καὶ γαυριᾷν, καὶ ἐπαίρεσθαι, ὡς ἀναιτίους μᾶλλον, ἢ ἐξομολογεῖσθαι καὶ πενθεῖν ἐπὶ τοῖς πονηροῖς βουλεύμασι παρασκευαζούσης; *Quid enim delectabilius opinione quæ ſubjicit peccatum cogitationis a nobis extraneum eſſe, & facit nos gloriari, & quaſi innocentes extolli potius, quam*

præparet ad confiteri & lugere de malis conſiliis? Eccam vides peccatorum cogitationum lethalium nativis coloribus expreſſam confeſſionis imaginem. Supervacaneum eſſet reponere, eo loci Marcum non indigitare confeſſionem apud Sacerdotem faciendam; cum agnoſcat ipſe Dallæus, eo tempore primulum incœpiſſe uſum delicta omnia ſigillatim confitendi, atque ipſum Marcum acute proſpexiſſe, quantam illa conſuetudo piorum animis labem adferret.

III. Succedat igitur Innocentius Papa I. ex cujus Epiſtola 1. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum locus aſſumitur ad comprobandam confeſſionem, capite ſcilicet 7. *De pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sane ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.* Porro hæc ver-

ba confeſſionis auricularis uſum & neceſſitatem demonſtrantia multa cogitatione reputanda ſunt. Enimvero de pœnitentibus publicis hic locus intelligi non poteſt, ſi vera eſt obſervatio Dallæi libri III. de Confeſſione capite 15. quo ait per *pœnitentes* intelligi *publicos*, cum hac voce *pœnitens* vel *pœnitentes* ſolitarie, hoc eſt, ſine alterius acceſſione, veteres Scriptores utuntur. Hic vero non ita ſe res habet. Nam legimus, *De pœnitentibus vero, ſive qui ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt.* Quæ quidem eo tempore duplicis generis pœnitentiam extitiſſe ſignificant: ſcilicet peccatorum graviorum, & leviorum. At ſi Dallæo credimus, de ſolis gravioribus, capitalibus & manifeſtis criminibus rei pœnitentiæ publicæ lege tenebantur, libri IV. de Confeſſione cap. 32. Adeoque ex hac Epiſtola Innocentii per *pœnitentes* non ii ſolum qui publicæ pœnitentiæ ſtadium percurrebant, verum etiam qui aliorum peccatorum pœnas luebant, intelligendi ſunt.

IV. Dato non conceſſo, utcumque res ſit, Innocentium hic ſpectare pœnitentiam publicam, neutiquam conſequeretur eo loci non ſpectari confeſſionem peccatorum occultorum; quippe quam conceptis verbis ſi-

Digitized by Google

gnificat Innocentius. *Cæterum de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis.* Non enim loquitur de confeſſione publica, ſcilicet eâ ætate penitus abrogata: ergo de ſecreta, ſine qua delicti pondus cognoſcere, ac de eo judicare non potuiſſet, ut ipſemet paſſim fatetur Dallæus. Adeoque conſequitur luce meridiana clarius, tempore hujuſce Pontificis Innocentii I. uſu receptam fuiſſe pœnitentiam publicam, pro peccatis indiſcriminatim mortalibus, ſive publicis, ſive occultis, levioribus, ſive gravioribus. *Sive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus.*

V. Improbabile eſt, per confeſſionem ſanctiſſimum Pontificem intellexiſſe exomologeſim, quam plerique cum integra actione pœnitentiæ ſive ſatisfactione confundunt. Has enim conceptis verbis egregie diſtinguit. *Vt attendat ad confeſſionem pœnitentis.* en confeſſionem. *& ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem.* en reliquum opus pœnitentiæ. His autem ſignificari confeſſionem ſoli Deo, poſtpoſito miniſtro Eccleſiæ, factam non exiſtimat Dallæus. Rotunde enim fatetur eo capite 15. pœnitentes publicos confeſſos eſſe Sacerdoti-

Digitized by Google

bus. *Ex his quæ ſunt*, inquit, *indubitata, apparet ex hoc Innocentii loco haberi quidem, qui publicam illam apud veteres ſolemnem pœnitentiam ſuſcipiebant, eos apud Dei miniſtrum, a quo eam petebant, & accipiebant, lapſum ſuum confeſſos fuiſſe: quod nemo negat, & idem apud nos quoque fit.* At vero non habet aliam explicandorum Sacerdotibus peccatorum publicorum cauſam præter neceſſitatem cognitionis, ſine qua rite recteque judicare non potis eſt. Quamobrem cum de reconditis judicare ſine confeſſione, ex qua ſola cognitio haberi poteſt, difficilius ſit, quam de publicis, quæ ex hominum teſtificatione abundanter innoteſcunt; majorem eſſe confeſſionis occultorum quam publicorum neceſſitatem, concludere neceſſe eſt.

VI. At inquit Dallæus lib. IV. de Confeſſione capite 12. pag. 396. *Idem Innocentius clariſſime docet nos, Sacerdotes ſuo ſæculo in ea tantum crimina animadvertiſſe, quæ ſibi alieno indicio eſſent prodita; unde ſequitur, nullam adhuc tum fuiſſe confeſſionalem alterius Innocentii* (ſcilicet III.) *diſciplinam.* Et in hanc rem citat caput 4. Epiſtolæ III. Innocentii I. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum. *Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia pec-*

Digitized by Google

gata vindictam: viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt, & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commiſſo, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur. Qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.

Sed reſpondere facile eſt, ejuſmodi peccata non fuiſſe ex confeſſione intellecta, quoniam eorum conſcii homines aut nimis contumaces fortaſſe non confitebantur, aut adeo clam Sacerdotibus detegebant, ut ea clauſa tenere cogerentur, adeoque palam corrigere atque arguere jure non poſſent. *Sic agamus*, inquit S. Auguſtinus capite 8. Homiliæ XVI. de verbis Domini, *& ſic agendum eſt, non ſolum quando in nos peccatur, ſed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero neſciatur. In ſecreto debemus corripere & corrigere: quod ſi inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publice corripere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo: corripio in ſecreto: pono ante oculos Dei judicium: terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam.* Idem habet S.

Leo Pontifex, de quo infra dicturi ſumus. Verumtamen dubitandum non eſt, tempore S. Auguſtini & Innocentii I. confeſtim peractam fuiſſe pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. Neque enim res eſt eadem, publice arguere peccatorem, peccatumque ei coram multitudine exprobrare; & pœnitentiam publicam imponere. Sæpe fervore pietatis atque inſtinctu, primis temporibus Chriſtiani publicæ pœnitentiæ onera ſuſtinebant, eaque ſibi perhonorifica ac glorioſa ducebant. Enimvero exprobratio peccati aut turpitudinis propter peractam pœnitentiam res eſt omni memoria antiquitatis eccleſiaſticæ omnino inaudita. Itaque nihil vetat, ea ætate quoſdam peccatores ſua ſcelera Epiſcopis clam confeſſos, eorum inductu ſibi perſuaſiſſe, ut pœnitentiam agerent, [*Perſuadeo pœnitentiam.*] peccatis eorum occultis atque alto ſilentio ſepultis permanentibus. Ejuſmodi agendi ratio non eſt ab ætatis noſtræ inſtitutis alienior. Quis enim neſcit, infinita peccata occulta publicis eleemoſynis, jejuniis, peregrinationibus, victu ac veſtitu monaſtico quotidie expiari? adeoque pœnitentes opera & actus ſuos ſtragulis ſeu conopeis pietatis ſimplicis ac religionis obumbrare? Inſulſum igitur eſt ſibi perſuadere

Digitized by Google

pœnitentia publica ſcelera occultiora manifeſta ac publicata fuiſſe, uti capite II. & III. ſupra demonſtravimus. Revera enim plerique veteres Chriſtiani, ut obſervat Tertullianus, pœnitentiam agebant, non ſolum ut peccata delerent, verum etiam ut legi Divinæ obtemperarent.

CAPUT XVI.

Probatur, ætate S. Hieronymi & S. Auguſtini exiſtimatam fuiſſe confeſſionem auricularem neceſſariam ad obtinendam peccatorum veniam, adeoque uſu continuo receptam fuiſſe.

Sanctus Hieronymus S. Chryſoſtomi & S. Innocentii Papæ I. æqualis, de confeſſione auriculari tam conceptis verbis mentionem facit, ut ipſum aliter ſenſiſſe nemo dixerit, niſi de poteſtate mentis exceſſerit. Verumtamen Dallæus ad tuendam inſolentem opinionem quam defendendam recepit, ſanctum Doctorem inter adverſarios confeſſionis recenſet, eodem capite, quo verba Innocentii I. excuſſit, novamque explicationem ejus verbis a Cardinale Bellarmino in rem confeſſionis adductis inducere nititur

exſcriptis ex Commentario in caput x. Eccleſiaſtæ ad hæc verba, *Si momorderit ſerpens in ſilentio, non eſt amplius habenti linguam.* pag. 59. tomi VII. editionis Operum S. Hieronymi, Eraſmi cura factæ Baſileæ anno MDXXV. *Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit; ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.* Porro tria ex hoc loco extra omnem controverſiæ aleam poſita intelliguntur.

I. Loquitur S. Hieronymus de peccatis occultis lethalibus, neutiquam vero de manifeſtis. Nihil enim aliud ſignificant hæc verba: *Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit.* Nam peccatores publicos non occulte, ſed publice mordet diabolus, pluribuſque conſciis eos peccati veneno inficit.

II. Confeſſionem ejuſmodi peccatorum ad procurandam ſalutem neceſſariam exiſtimat: quippe cum hac confeſſione prætermiſſa, Sacerdos peccatori prodeſſe faciliter neutiquam poſſit. *Et non egerit pœnitentiam,*

nec

nec vulnus ſuum fratri & magiſtro voluerit confiteri, magiſter qui linguam habet ad curandum, facile ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. His autem perſpectam habemus neceſſitatem confeſſionis ex neceſſitate cognitionis peccati: quippe cum medicus ignotos morbos curare nequeat.

III. Dubium non eſt, ibi per magiſtrum intelligi Sacerdotem ſive Epiſcopum, cum S. Hieronymus infinitis Operum locis vices & functiones magiſtri Sacerdotibus adſcribat & vendicet, præſertim Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum & Sacerdotum pag. 14.

IV. Nihil etiam tam inſulſum videtur & a rectæ rationis inſtitutis alienum, quam quod negat Dallæus: ſcilicet S. Hieronymum exiſtimare omnes Fideles lege confeſſionis teneri jure divino. Enimvero cum hunc ſenſum defendat eſſe verborum Scripturæ ſacræ, neceſſe eſt Scripturæ autoritate, adeoque jure divino ſancitam confeſſionis legem intellexiſſe.

V. Mente etiam non aſſequor, quo artificio Dallæus hæc verba S. Hieronymi ad habitudinis peccata transferat, nec quid rebus Dallæi conducat ejuſmodi conjectura.

Semper enim conſequeretur, peccata habitudinis fore confeſſioni obnoxia : quibus ita conſtitutis, quo jure peccata quæ actualia vocantur, eadem lege ſoluta ac libera cenſerentur?

VI. Non levioris momenti locus alter aſſumitur ex Operibus S. Hieronymi, qui verbis jam citatis non minorem lucem rependit, quam ab iis acceptam refert ; ſcilicet libro III. Commentarii in caput XVI. Evangelii S. Matthæi, pag. 30. tom. IX. ad hæc verba : *Et tibi dabo claves regni cælorum. Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt supercilio : ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur : cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis : ubi jubentur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus ; & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant : non quo Sacerdotes leproſos faciant & immundos ; ſed quo habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit : ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter : non eos qui inſontes ſunt vel noxii : ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varieta-*

Digitized by Google

tes, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.

Ex hoc loco manifeſte intelligitur poteſtas ligandi atque ſolvendi data Sacerdotibus, & jus ope confeſſionis diſcernendi peccata, *cum peccatorum audierit varietates.* Inſuper quemadmodum omnes leproſi autoritati Sacerdotum veteris Legis ſubjiciebantur, ut lepram a lepra diſcernerent; ita novæ Legis Sacerdotum judiciali foro peccatores obnoxii ſunt.

Reſpondet Dallæus, S. Hieronymum non comprehendere omnem ſpeciem peccati, ſed quædam graviora & capitaliora. At ejuſmodi reſponſionem frangere facile eſt. Non enim intelligit quandam tantum ſpeciem lepræ a Sacerdotibus veteris Legis fuiſſe diſcretam, ſed omnem omnino. Igitur omnia peccata ſive capitaliora, ſive leviora, cujuſque generis, Sacerdotum novæ Legis judicio ſubjici debere exiſtimat.

Addit præterea Dallæus, non ſignificare S. Hieronymum, peccatores ea lege confeſſionis jure divino teneri. Sed cum peccatorum ac lepræ par ſit omnino & eadem ratio, ejuſmodi objectio futilis & incogitabilis eſt. Jam ergo ſuccedat S. Auguſtinus.

VII. Primus locus in rem confeſſionis profertur ex capite 3. Homiliæ XLIX. ex L.

pag. 202. lit. D. quo ſic fatur S. Auguſtinus adverſus adulteros: *Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia Dei, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat:* Occulte ago, *apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei?* At vero ſi occulte pœnitentiam agenti & coram Deo, poſtpoſito Sacerdote, dicendum eſt, ſine cauſa Chriſtum reliquiſſe in poteſtate Diſcipulorum jus ſolvendi in cælo quæ in terra ſoluta ſunt, & ſine cauſa claves datas eſſe Eccleſiæ Dei: invictiſſime conſequitur, uſu receptam fuiſſe ætate S. Auguſtini conſuetudinem exponendi peccata miniſtris ad procurandam ſolutionem, & accipiendum ab iis ſatisfactionis modum, ut Homilia L. obſervat S. Auguſtinus.

At, inquit Dallæus libro III. capite 16. pag. 259. S. Auguſtinus ſolitarium peccatum adulterii ſpectat eo loci, quod antiquis canonibus, qui tunc temporis confeſtim agebantur, legi pœnitentiæ publicæ ſubjiciebatur; confeſſionem vero non reſpicit, ſed pœnitentiam. Ego vero fateor, ea Homilia S.

Auguſtinum mentionem facere de ſolitario peccato adulterii; ſed indiſcriminatim, ſive occulto, ſive publico : adeoque publica ſatisfactione æquabiliter plectendo. Sed Homilia proxime ſequenti, ſive L. conceptis verbis docet, non ſolum adulterium, ſed omnia peccata mortalia contra Decalogum commiſſa, Eccleſiæ clavibus eſſe obnoxia, omni diſcrimine remoto occultorum aut publicorum criminum. *Tertia actio eſt pænitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Et ibid.pag. 206.lit.C.& D. *Et cum ipſe*, ſcilicet peccator, *in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tamquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* At vero ejuſmodi peccata ſolitariæ confeſſionis ope ſubjiciebantur clavibus : quippe cum plurima eſſe non poſſent, niſi recondita & occulta, verbi gratia, contra præceptum, *Non concupiſces*, perpetrata, quæ intus nihil exterius erumpente committuntur ; & alia cogitationum lethalia, de quibus mentionem fa-

cit S. Auguſtinus tractatu XLIX. in Joannem pag. 146.

Præterea nemini homini in mentem venit, omnia peccata contra Decalogum, etiam publica, antiquis canonibus fuiſſe pœnitentiæ publicæ ſpeciatim præſcriptis pœnis obnoxia. Sed revera, ſive publica, & interdum occulta, expiabantur pœnitentia publica ad arbitrium ſapientis & prudentis Epiſcopi aut Preſbyteri tempus ac modum ſatisfactionis opportune decernentis. *Vt ſi peccatum ejus* (inquit continuo ſermone Auguſtinus) *non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.* Denique nullus dubitandi locus relinquitur, exiſtimaſſe S. Auguſtinum imponendam etiam pœnitentiam publicam pro gravibus peccatis occultis, ex continenti ſermone hujus Homiliæ: *Nos vero prohibere a communione quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum.* Et infra: *Noluit enim hominem*, ſcilicet Apoſtolus, *ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam ex-*

Digitized by Google

traordinario uſurpato judicio : ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum atque convictum. Quæ ſunt enim peccata quæ ſponte confitemur, niſi occulta ? & de quibus convincimur, niſi de publicis, ſeu in multorum conſpectu commiſſis ? At vero de utriſque indiſcriminatim ait, ſeu tam ex confeſſione cognitis, quam ex convictione probatis. *Et tamen certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda regum, quibus clavibus quodcumque in terra ſolvitur, etiam in cælo ſolutum promittitur; & multo honeſtior eſt humilitas, qua ſe quiſque humiliat Eccleſiæ.*

VIII. Secundus locus aſſumitur ex tractatu XLIX. in Joannem pag. 150. *Quando contemnis, mortuus jaces; & ſi tanta quanta dixi, contemnis, ſepultus jaces : quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari ? Sed ut confitearis; Deus facit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando.* De confeſſione peccatorum occultorum dubio procul mentionem facit : nunquam enim hæc verba, *Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut exeundo manifeſtari ?* peccata publica ſignificare poſſunt, niſi occulta & publica ſynonyma ſint. Conſtat etiam, ejuſmodi confeſ-

ſionem ſeu peccatorum declarationem factam fuiſſe apud miniſtros Eccleſiæ, quos repræſentabant, teſte S. Auguſtino, miniſtri, quibus Chriſtus Dominus juſſit ut Lazarum ſindone colligatum ſolverent, poſtquam mirabiliter revixit; ut ex continuo ſermone intelligimus: *Ideo cum proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus: ut ſolverentur peccata ejus, miniſtris hoc dixit Dominus, Solvite illum, & ſinite abire. Quid eſt enim, Solvite, & ſinite abire? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo.*

At inquit Dallæus pag. 261. hæc numquam intelligi poſſe de peccatoribus ſua delicta in aurem Sacerdotis enarrantibus, qui, quod Auguſtinus affirmat diſerte, ab occultis velut exeundo ſe manifeſtare dici non poſſunt. Sed immo congruentius multo hoc dicitur de peccatoribus occulta & intima ſuæ conſcientiæ Sacerdoti revelantibus, quam de peccatoribus publicis. Præterea cum ætate S. Auguſtini uſus pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis manifeſte receptus fuerit, quid vetat ex occultis dici peccata per pœnitentiam procedere, & velut exeundo manifeſtari? Sed quid reſpondebunt Dallæus & omnes ſectatores Calvini, ſi percontarer libenter quam ſpeciem confeſſionis

Digitized by Google

hic ſpectet S. Auguſtinus? Enimvero de confeſſione ſoli Deo facta non loquitur: repugnant enim hæc verba, *Miniſtris hoc dixit Dominus, Solvite illum, & ſinite abire.* Neque de confeſſione peccatorum publicorum, de quibus dici non poteſt, *Ab occultis procedere, & velut exeundo manifeſtari.* Reſtat igitur confeſſio peccatorum occultorum in aurem Sacerdotum Eccleſiæ, quibus ab occultis velut exeundo manifeſtabantur.

IX. Tertius locus hanc veritatem mirabiliter confirmat, ex Homilia XXVII. ex L. pagin. 178. cap. 3. *Elevatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo: & ligatus erat: ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes pænitentiam; jam proceſſerunt a morte: nam non confiterentur, niſi procederent. Ipſum confiteri, ab occulto & tenebroſo procedere eſt: ſed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo?*

Tria ex hoc loco manifeſta intelliguntur. 1. Ejuſmodi confeſſionem non fieri ſoli Deo, ſed Eccleſiæ, penes quam jus exiſtebat remittendi peccata. *Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo?* 2. Hanc confeſſionem eſſe peccatorum occultorum quæ miniſtris Eccleſiæ manifeſtabantur. *Ipſum confiteri, ab occulto & tene-*

broſo procedere eſt. Peccatum enim publicum, occultum ac tenebroſum dici non poteſt. 5. Hac confeſſione explicata fuiſſe peccata, non ſolum ſelecta quædam graviora, ſed omnia omnino, nullo dempto, mortalia: quippe cum hujuſce Homiliæ continuo ſermone doceat nos S. Auguſtinus, hæreſim eſſe negare dandam eſſe pœnitentiam quibuſcumque peccatis, quaſi in quibuſdam peccatis pia mater Eccleſia viſcera perdiderit. *Fuerunt enim qui dicerent, quibuſdam peccatis non eſſe dandam pœnitentiam, & excluſi ſunt de Eccleſia, hæretici facti ſunt: in quibuſcumque peccatis non perdit viſcera pia mater Eccleſia.* Inſuper obſervat, ſui temporis gentiles exprobraſſe Chriſtianis licentiam quam dabant peccandi, ſibi perſuadendo remiſſionem omnium peccatorum in Eccleſiæ poteſtate poſitam eſſe.

X. His addere poſſem Homiliam XLI. S. Auguſtini, in qua hæc verba occurrunt confeſſioni valde propitia. *Quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.* Quam S. Ambroſio ſuperius adſcripſi: ſed Sancto Auguſtino & S. Ambroſio quamvis Dallæus abjudicet, ſaltem veteri & antiquo Scriptori eccleſiaſtico fide digniſſimo denegare non poteſt.

XI. At vero inquit Dallæus lib. IV. de Confeſſ. cap. 33. *Docet Auguſtinus corde contritis atque pænitentibus etiam ante vocalem confeſſionem peccata remitti.* Et in hanc rem citat hæc verba in Pſalm. XXXI. Enarratione 2. *Dixi, Pronunciabo adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Dixi, inquit. Quid dixiſti? Non jam pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille jam dimittit. Attendite, fratres. Magna res: dixit, Pronunciabo: non dixit, Pronunciavi, & tu dimiſiſti. Dixit, Pronunciabo, & tu dimiſiſti: quia eo ipſo quod dixit, Pronunciabo, oſtendit quia nondum ore pronunciaverat, ſed corde pronunciaverat. Hoc ipſum dicere, Pronunciabo, pronunciare eſt: ideo & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Confeſſio vero mea ad os nondum venerat: dixeram enim, Pronunciabo adverſum me: verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, ſed auris Dei jam in corde erat.*

Sed facilis eſt reſponſio, neminem in Eccleſia Romana unquam dubitaſſe, quin contritio vera caritate perfecta & voto confitendi conjuncta, procuret remiſſionem peccati ante vocalem confeſſionem. Hoc docet conceptis verbis Concilium Tridentinum Seſſione XIV. cap. 4. omneſque Theologi

Romani defendunt, hoc non repugnare dogmati neceſſitatem confeſſionis conſtituenti: quippe cum Fideles veram contritionem ſine voto ac deſiderio confitendi peccata ſibi comparare nequeant.

XII. Ex his conſequitur, inſulſam ac ſupervacaneam eſſe objectionem, quam profert Dallæus ejuſdem libri IV. capite 34. quam aſſumit ex eo quod S. Auguſtinus aliique Patres non dubitaverint, ſalutem ſibi comparaſſe Fideles iterum lapſos, eo tempore quo leges Eccleſiæ confeſtim agebantur, quibus relapſis abſolutione & reconciliatione interdictum erat. Citat in hanc rem Epiſtolam Sancti Auguſtini LIV. ad Macedonium. *In tantum autem*, inquit, *hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel graviora committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum; nec minus tribuit quam ante tribuebat, largiſſima munera vitæ ac ſalutis. Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur.*
„ Tum alicui ex iſtis petenti, utrum ſibi aliquid
„ ad vitam futuram profuturum ſit, ſi in iſta
„ vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta
„ contempſerit, ſi libidinum incitamenta fre-

naverit, &c. ſi vixerit melius, ſi pauperes ſu- "
ſtentaverit largius, &c. Si denique reliquis & "
pœnitentiæ & pietatis & caritatis operibus di- "
ligentius incubuerit: *Quis noſtrum ita* (inquit "
Auguſtinus) *deſipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi iſta proderunt; vade, ſaltem hujus vitæ ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegamque dementiam. Quamvis ergo caute ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga iſtos non agi quod ait Apoſtolus, Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? aut iſtis exceptis eſſe definitum quod ſcriptum eſt, Beati omnes qui confidunt in eum? aut ad iſtos non pertinere quod dicitur, Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Dominum?* Denique ex his continenter con- "
cludit, ſuper peccatores tantam eſſe patien- "
tiam, tantam miſericordiam Dei, ut in hac "
temporali vita moribus emendatis non dam- "
nentur in æternum. "

Verumenimvero hæc omnia nihil aliud

probant, niſi ope contritionis procurari veniam peccatorum, etiam cum ea confiteri Sacerdoti non potis eſt. Quod quidem omnes Eccleſiæ Romanæ Theologi fatentur perlibenter. Sed ex eo quod S. Auguſtinus exiſtimat poſſe homines ſalvari abſque confeſſione & abſolutione, cum obtinere non potis eſt; neutiquam conſequitur, ipſum repudiaſſe dogma neceſſitatem confeſſionis auricularis conſtituens. Quippe, cum magnum Fidelibus adferri intertrimentum magnamque perniciem doceat ex abſentia paſtorum, qui tempore perſecutionis effugere & exulare cogebantur: Epiſtola CLXXX. ad Honoratum. *Vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt?* Si præter lacrymas, intimum doloris ſenſum ac reſipiſcentiam, nihil deſiderandum exiſtimaſſet ad procurandam remiſſionem; incredibile videretur ſanctiſſimum Patrem docuiſſe, æquabili ratione dandam abſolutionem moribundis Fidelibus in paroxyſmo nulla rationis ſigna edentibus, ac Baptiſma Catechumenis morbo repentino de poteſtate mentis excedentibus. Libro I. de adulter. conjugiis contra Pollentium, in fine:

Digitized by Google

Quæ autem Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.

XIII. In hoc fundo non ſubſidet Dallæus: novam profert objectionem lib. IV. de Confeſſione capite 12. pag. 396. ex Homilia XVI. S. Auguſtini de verbis Domini, pag. 30. tom. x. edit. Antuerp. MDLXXVII. *Sunt homines adulteri in domibus ſuis: in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus.* Et ex Homilia XLIX. cap. 4. & 6. *Nolite viros veſtros permittere fornicari: interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico, Iudices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem; ſed Deum Patrem, & Chriſtum, & Spiritum ſanctum.* Contendit numquam queſturum fuiſſe S. Auguſtinum ſibi incognita adulteria, ſi revera ex confeſſione ſua ætate uſu recepta ea faciliter cognoviſſet. Nec credibile putat, neceſſe fuiſſe Auguſtino confugere ad mulieres, ſi conjugum arcana ex confeſſione reſciviſſet. Sed quam imbecillum ſit ejuſmodi argumentum, nemo non videt. Adulteri enim de quibus loquitur S. Augu-

ſtinus, erant contumaces & obſtinati, ab inſtitutis confeſſionis peccatorum longe alieniſſimi, qui ſibi perſuadebant vanis deluſi teſtimoniis peccata carnis vitia non eſſe, atque ad ea nullam eſſe Deo curationem: uti perſpicimus ex Homilia eadem XVI. de verbis Domini, cap. 8. *Quod aliquando qui committunt, neſcio qua perverſitate contemnunt, & neſcio unde ſibi teſtimonia nulla & vana conquirunt, dicentes, Peccata carnis Deus non curat.* Ætate S. Auguſtini adulteria graviſſimis pœnis puniebantur, ſive occulta, ſive publica: quamobrem mirum non eſt, pleroſque homines ejuſmodi ſceleribus inquinatos induratos & contumaces ea confeſſione non explicuiſſe, metu ſcilicet pœnæ: lege enim implacabili interdictum erat communione ſponte confeſſis aut convictis peccatoribus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Explicatur Canon XLIII. *Codicis Eccleſiæ Africanæ. Fides Sozomeni de confeſſione auriculari vindicatur ab inſigni corruptela Dallæi.*

I. ISTE Canon legitur exſcriptus ex Concilio Carthaginenſi anno Chriſti CCCXCVII. habito Cæſario & Attico Conſulibus, Kalend. Septembris, in Codice Eccleſiæ Africanæ confecto in Concilio Carthaginenſi anno CCCCXIX. cui S. Auguſtinus interfuit. *Vt pœnitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur: & ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentiæ Epiſcopi neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.* 1. Patet ex hoc Canone, longitudinem temporis pœnitentiæ circumſcriptam fuiſſe ab Epiſcopo, nec Preſbyterum eo inconſulto, niſi abſente, reconciliaſſe pœnitentes. 2. Brevitatem aut diuturnitatem pœnitentiæ ex

Digitized by Google

gravitate aut levitate criminis definitam ac decretam fuiſſe. 3. Id recte ac jure fieri non potuiſſe, niſi peccata cognoſcerentur. Hæc omnia fatetur Dallæus: ſed defendit, pœnitentes & pœnitentias quas ſpectat iſte Canon, fuiſſe publicas; adeoque nihil attinere ad confeſſionem auricularem peccatorum reconditorum, & ait: *Quæ cum ſtultiſſima ſint atque abſurdiſſima, concluſum eſto, Africanum Canonem nihil ad præſentem cauſam pertinere.* Rotunde fateri expedit iſtum Canonem revera tractare pœnitentias publicas. Sed ex eo neutiquam conſequitur, ſpectare ſolummodo peccata manifeſta & publica. Immo vero ex continentibus verbis Canonis, quæ conſulto prætermiſit Dallæus, argumentum invictiſſimum aſſumitur impoſitæ eo tempore pœnitentiæ publicæ pro peccatis gravibus occultis, adeoque ex confeſſione intellectis. *Cujuſcumque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.* Quis enim non videat differentiam ſeu diſſimilitudinem peccatorum publicorum ab occultis? quippe cum publicis ritus ſpecialis impoſitionis manus ante abſidem, ſive thronum aut cathedram Epiſcopi, adſcribatur.

Non eſt eadem omnium Doctorum de hac enunciatione *ante abſidem* ſententia. Zonaras exiſtimat ſignificare impoſitionem manus ad valvas Eccleſiæ fieri conſuetam, qua reſipiſcentes peccatores ad pœnitentiam admittebantur. Balſamon econtra putat eſſe ipſam peccatorum capitalium remiſſionem clam extra Eccleſiam procuratam, ne Fideles ejuſmodi pœnitentiæ publicatione excitarentur & ſcandalo commoverentur. Illuſtris Sorbonæ Socius Gabriel Albaſpinæus, Epiſcopus Aurelianenſis, de ea ſic cenſet Commentario in hunc Canonem, Obſervationum Eccleſiaſticarum pag. 199. *Canonis tamen hujus veram hanc ſententiam eſſe cenſeo, ſi unde omnium Fidelium exulcerantur animi, quod quidem omnium oculis pateat, peccatum, crimenque atrociſſimum patratum ſit, omnino eſſe præſtandum, ut a quo id admiſſum eſt, is præter communem aliorum conſuetudinem atque morem, ſupplicio quodam exquiſito, quod pro exemplo ſit, pœnas luat: ſed ita, ut ne tranſverſum quidem unguem diſcedat a præſcripto ceremoniarum, aut aſperitatum, quæ tertio gradu comprehenduntur, in terram ſeſe abjiciat, crebra illa manuum impoſitione ante abſidem purgetur, cæteraque precum ac purgationum genera non negligat, idque non illo protrito, aut uſitato, aut aliis tertii*

gradus pœnitentibus deſtinato, retro ambonem loco fiat, ſed ante abſidem: hoc eſt in patenti Eccleſia, & in loco unde ejuſmodi pœnitentes, eorumque purgationes ab omnibus conſpici poſſent. Omnibus quidem pœnitentibus tertii gradus manus crebro imponebantur, & purgabantur retro ambonem, qui locus eſt extra: ſed juxta chorum, ut vocant: an vero ante abſidem idem ſit, ac retro ambonem, & hoc canone nihil aliud ſibi velint Patres, niſi ut retro ambonem purgentur ejuſmodi gravia crimina: (alibi enim ſi ita viſum fuiſſet Epiſcopo, poterant purgari) an vero ante abſidem, ſit extra Eccleſiam, ut aiunt Græci, lectoris erit judicium.

Ego vero mihi perſuadeo, hanc formulam *ante abſidem* ſignificare ante thronum ſive cathedram Epiſcopi. *Abſis* enim tempore S. Auguſtini, qui Concilio Carthaginenſi anno CCCCXIX. interfuit, ſedem Epiſcopalem ſeu cathedram ſignificat. Id enim intelligimus ex Epiſtola CCIII. S. Auguſtini, quam Maximino ſcripſit anno circiter CCCXCII. paucis ſcilicet annis, antequam Codex Eccleſiæ Carthaginienſis compingeretur. *Tranſit,* inquit, *honor ſæculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio nec* ABSIDÆ *gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibentur ad de-*

feſſionem, ubi cæperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant; quæ ibi relevant, hic gravant. Iſta quæ pro tempore propter Eccleſiæ utilitatem honori noſtro exhibentur, defendentur forte bona conſcientia, defendere autem non poterunt malam. Jam vero ad Sozomenum procedamus.

II. Cardinalis Bellarminus lib. III. de Pœnitentia capite 9. hunc locum Sozomeni profert ex libro VII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 16. *Cum prorſus non peccare, naturæ ſit humana divinioris: pœnitentibus, quamvis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus juſſit, & ad impetrandam veniam, confiteri peccata neceſſarium eſt.* Cum vero de Pœnitentiarii abdicatione a Nectario facta Conſtantinopoli mentionem faciat Sozomenus, dubium non eſt eo loci, quin ſpectet confeſſionem peccatorum Sacerdoti fieri eo tempore adſuetam; neutiquam vero confeſſionem ſoli Deo faciendam, quam paſſim pluſquam poteſt vindicare contendit Dallæus. Sed inventum facilem habuit in cerebro Miniſtri hujuſce difficultatis ſolutio prorſus inſolens & ſingularis, quam prodidit libro III. de Confeſſione, capite 17. Quippe ſic alloquenti Bellarmino: *Hic audis ab homine Græco, & jus divinum, & confeſſionis neceſſitatem.* re-

Digitized by Google

ſpondet : *Audio quidem, verum non ab homine Græco; ſed a Latino, eoque Græca, quod aiunt, id eſt peſſimæ fidei, hominis Græci interprete. Illa enim ultima verba*, AD IMPETRANDAM VENIAM PECCATA CONFITERI NECESSARIUM EST : *Bellarmini ſunt, non Sozomeni, apud quem loco citato nihil plane legitur hujuſmodi.*

Si revera hæc in autographo Græco Sozomeni non occurrant, non poterat objectionem Bellarmini fortius retaliare Dallæus: quippe verba Patrum repugnantia, ſibi propitia fabricare turpiſſimum eſt. Sed ſi fida eſt ejuſmodi interpretis verſio, nec de bonis Græcis Latine melius ſcribi potuerit, & ſi Græci textus ſinceritas inſignis mendacii ac probri Miniſtrum ſuperſtitionis Calvinianæ arguit : quid de Dallæo fiet ? ad quod effugium perventurus eſt ? habet enim inter litteratos viros ingens fama tribunal, quo falſariorum hominum æque ac teſtamentariorum nomen rapitur. Porro ita ſe habent verba concepta Sozomeni in autographo Græco, juxta omnes editiones, ac præſertim Henrici Valeſii Pariſiis MDCLXVIII. ἐπεὶ γὰρ τὸ μὴ παντελῶς ἁμαρτεῖν, θειοτέρας ἢ κατ' ἄνθρωπον ἐδεῖτο φύσεως, μεταμελουμένοις δὲ καὶ πολλάκις ἁμαρτάνουσι, συγγνώμην νέμειν ὁ Θεὸς πα-

ρεκλησύσατο, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεών. Quis vero dixerit falſam eſſe verſionem a Bellarmino citatam ? Nam hæc verba, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεὼν, *ad veniam obtinendam confiteri peccata neceſſarium eſt*, ſignificant. Valeſius traduxit : *Cumque in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat.* Παραιτεῖσθαι eſt præſens infinitivi medii verbi παραιτέομαι, quod ſignificat *excuſo, veniam peto*, juxta Lexicon Schrevelii, Calviniſtæ Grammatici, pagin. 594. & ipſummet Theodorum Bezam, qui hæc verba S. Lucæ capite XIV. ℣. 18. καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες, ſic traduxit cum Vulgata verſione : *Et omnes cœperunt uno ore ſe excuſare.* Unde & παραίτησις *deprecationem* & *veniæ petitionem* ſignificat apud Platonem in Gorgia, Thucydidem libro 1. & Plutarchum in Numa. Cum veniam ſeu abdicationem poſtulabant olim Epiſcopi, retento nihilominus honore Epiſcopatus, hoc nomine verbali παραιτήσεως uſos fuiſſe intelligimus ex Epiſtola Synodi Epheſinæ ad Synodum in Pamphylia, de Euſtathio Metropolitano : διακρούσασθαι τὰς παρὰ τῶν ἐπιφυομένων αὐτοῦ δυσφημίας δυνάμενος, παραιτήσεως οὐκ ἴσμεν ὅπως προεκόμισε βιβλίον. *Cum maledicta quæ in eum ab imminen-*

tibus adverſariis congerebantur, facile amoliri poſſet, abdicationis libellum nihilominus neſcio quomodo obtulit. Decernitur in Epiſtola Cyrilli ad Domnum, quam citant Zonaras & Balſamon in ſuis ad hanc Epiſtolam Synodi Epheſinæ Commentariis, *ne ulli Sacerdotes libellos abdicationis offerant.* λιβέλλους παραιτήσεως μὴ προσάγειν τινὰς τῶν ἱερέων. Hoc eſt, ne veniam petant abdicando, ad retinendum Epiſcopatus nomen, honorem, & communionem: uti de Euſtathio κατ᾽ οἰκονομίαν ſtatuerat Synodus Epheſina eadem Epiſtola: δίχα πάσης ἀντιλογίας, ἔχειν αὐτὸν τό τε τῆς ἐπισκοπῆς ὄνομα, καὶ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν κοινωνίαν. *Vt ſine contradictione Epiſcopatus nomen habeat; & honorem, & communionem.* Συνομολογεῖν, ſive ὁμολογεῖν ſignificat *confiteri* juxta Scapulam, Lexici pag. 8958. & Joannem Caſparum Suicerum, SS. Ling. in Schola Tigurina Profeſſorem publicum, tomo II. Theſauri Eccleſiaſtici e Patribus Græcis Amſtelædami impreſſi apud Henricum Weſtenium anno MDCLXXXII. pag. 476. Α᾽μαρτία, *peccatum,* juxta eumdem Suicerum, tom. I. pagin. 203. & χρεὼν, *neceſſe eſt,* juxta Schrevelium pag. 835. cujus thema eſt χρεία, id eſt, *neceſſitas,* a quo verbum imperſonale χρὴ, *oportet.* Quo jure igitur Dallæus exprobrat corruptelam

Bellarmino, & adjectionis horum vocabulorum in Latina verſione inſimulat? Cur fidei Græcæ, hoc eſt, peſſimæ interpretem accuſat, & ait hæc verba, *ad impetrandam veniam peccata confiteri neceſſarium eſt*, Bellarmini eſſe, non Sozomeni, apud quem loco citato nihil plane legitur hujuſmodi? Cur & hæc addit: *Ergò cum hanc ille* (ſcilicet Bellarminus) *laciniam, non a Sozomeno, ſed ex ſuo unius cerebro habeat, non eſt quod in ea excutienda tempus teramus?* Nullus enim fortaſſe in antiquis Scriptoribus locus eſt, in quo magis tempus terere neceſſe fuerit. Ex quo luce meridiana clarius intelligimus, ætate Sozomeni, ſive anno Chriſti CCCCXL. neceſſariam exiſtimatam fuiſſe ad veniam obtinendam peccatorum confeſſionem, eamque uſu & conſuetudine receptam fuiſſe.

Primus hunc Autorem qui Latine vertit Epiphanius Scholaſticus tempore Caſſiodori, cujus inſtigatione Theodoriti, Socratis & Sozomeni Hiſtorias convertit de Græcis, revera contra mentem Sozomeni hunc locum expreſſit, ut obſervat doctiſſimus Valeſius in ſuis ad hanc Hiſtoriam Notis: verumtamen dogmati confeſſionis fraudi non fuit. *Qui vero confiteri refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt.* Wolfgangus Muſculus, Proteſtan-

Digitized by Google

tium partium Scriptor, Eccleſiæ Romanæ hoſtis infenſiſſimus, etiamſi de Græcis hunc locum deterius ſcripſerit; attamen quod patrocinatur confeſſioni, eo loci penitus expungere non auſus eſt. Quippe ſic traduxit: *Et illis qui peccata ſua confiteri detrectant, delicta, ut credibile eſt, aggravantur.* Nicephorus, qui poſt vocem χρεὼν ſubdiſtinctionem apponendam eſſe non animadverterat, quod obſervarunt Chriſtophorſonus, Savilius, & Valeſius, hunc locum Sozomeni hoc modo interpolavit confeſſioni auriculari non repugnante: *ἡμῖν δὲ τῇ παραβάσει καθάπαξ κληρωσαμένοις τὸ πλημμελεῖν, συγγνώμην κελεύει Θεὸς μεταμέλῳ ἀναλόγῳ χρωμένοις τῷ παραιτεῖσθαι τοῦ λοιποῦ καὶ συνομολογεῖν τὸ ἁμάρτημα.* Quæ Langus ita vertit: *Nos autem qui per tranſgreſſionem peccandi hæreditatem adivimus, peccatorum veniam eis concedere Deus juſſit, qui legitima & convenienti pœnitentia uſi, deinceps ſimul peccatum & averſantur & confitentur.*

Solus igitur Dallæus ipſe falſarius Bellarminum falſi eo loci accuſare auſus eſt. Sed nihil tam admirationem movet, quam cum oculis propriis video textum Græcum Sozomeni integre ab ipſo Dallæo relatum, atque hæc verba non omiſſa, *ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομο-*

λογιεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεών· & tamen ab eo quæri & exclamari : *In quibus quid, quæſo, eſt, unde illa verba* AD IMPETRANDAM VENIAM PECCATA CONFITERI NECESSARIUM EST, *a Bellarmino allata exſculpi poſſint?* Incredibile enim eſt Dallæum ignoraſſe linguam Græcam : ſed incredibilius eſſe deberet, hominem literatum, & honeſtum virum voluiſſe famam Bellarmini cum tanto mendacii probro traducere, & lectores non ſemper Græce ſcientes tam impudenter ludificare.

CAPUT XVIII.

Explicantur Caſſianus, Autor Librorum de Vita contemplativa, & Theodoretus.

I. CASSIANUS S. Chryſoſtomi Diaconus, qui ad annum CCCCXLVIII. illuſtris Monachorum rector extitit, nonnihil ſcripſit multa cogitatione reputandum, cap. 8. Collationis XX. ex quo Dallæus argumentum aſſumit adverſus confeſſionem, lib. IV. de Confeſſ. cap. 35. Poſtquam enim uberes fructus pœnitentiæ a Chriſtianis perceptum iri demonſtravit, *per quos ad expia-*

tionem criminum pervenitur, atque inter eos caritatem recenſuit, eleemoſynas, confeſſionem, cordis & corporis afflictionem, emendationem morum, orationes Deo in fide & miſericordia oblatas, ſic ait: *Videtis ergo quantos miſericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo ſalutem cupiens deſperatione frangatur, cum videat ſe tantis ad vitam remediis invitari. Si enim pro infirmitate carnis, afflictione jejuniorum abolere te peccata non poſſe cauſaris, nec potes dicere, Genua mea infirmata ſunt a jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum: quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam: eleemoſynarum ea redime largitate. Indigenti ſi non habeas quod impartiaris, (licet nullum ab hoc opere neceſſitas inopiæ ac paupertatis excludat, quandoquidem & illius viduæ duo tantum æra ingentibus divitum muneribus præferuntur, & pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe redditurum Dominus repromittit) certe abſque illis morum poteris emendatione purgari. Quod ſi perfectionem virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipiſci, ſolicitudinem piam erga utilitatem alienæ ſalutis impende. Si autem te idoneum huic miniſterio non eſſe conquereris, operire peccata poteris caritatis affectu. In hoc quoque ſi te fragilem fe-*

ſerit qualibet mentis ignavia, oratione ſaltem, atque interceſſione ſanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu ſubmiſſus implora. Poſtremo quis eſt qui non poſſit ſuppliciter dicere, Peccatum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non operui; ut per hanc confeſſionem etiam illud confidenter ſubjungere mereatur, Et tu remiſiſti impietatem cordis mei? Quod ſi verecundia retrahente revelare coram hominibus erubeſcis, illi quem latere non poſſunt, confiteri ea jugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere, Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper; tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci; qui & abſque illius verecundiæ publicatione curare, & ſine improperio peccata donare conſuevit. Poſt iſtud quoque tam promptum certumque ſubſidium, aliud quoque adhuc facilius largita eſt nobis Divina dignatio, ipſamque remedii opem noſtro commiſit arbitrio, ut indulgentiam noſtrorum ſcelerum pro noſtro præſumamus affectu: dicentes ei, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quiſquis igitur ad indulgentiam ſuorum criminum deſiderat pervenire, iſtis ſemetipſum aptare ſtudeat inſtrumentis, nec obdurati cordis pervicacia a remedio ſalutari fontem tantæ pietatis avertat; quia etiamſi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea

Digitized by Google

ad expiationem ſcelerum noſtrorum, niſi ea bonitas Domini clementiaque deleverit, qui cum religioſi conatus obſequia ſupplici mente a nobis oblata perſpexerit, exiguos parvoſque conatus immenſa liberalitate proſequitur, dicens, Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum jam non recordabor.

Exiſtimat Dallæus, Caſſianum alternatim proponere varios procurandæ remiſſionis peccatorum modos, adeo ut homini caritate exornato, aut eleemoſynas facienti, vel mores emendanti, confeſſione non opus ſit. Inſuper pluſquam poteſt contendit, hanc ſententiam Caſſiani eſſe ipſius S. Chryſoſtomi. Atque ex his concludit, nulla lege teneri peccatores ſua crimina Sacerdotibus explicare; adeoque ab onere & jugo confeſſionis eſſe liberos, dummodo ſoli Deo confiteri, quem latere non poſſunt peccata, neutiquam renuant.

II. Ejuſmodi nodi non ſunt inextricabiles. Enimvero 1. non proponit alternatim hós procurandæ remiſſionis modos Caſſianus: ſed ſive conjunctim, ſive ſeparatim, uti conducibiles. Verbi gratia, caritas facile procurat remiſſionem ſine confeſſione, cum fieri non potis eſt. Ipſa vero confeſſio ſine amore

Digitized by Google

Dei veniam peccati non comparat, ſaltem (ut Theologi loquuntur) initiali: fides etiam quæ montes transferret, ſine caritate nihil eſt; idque de eleemoſyna & emendatione morum dici æquabiliter poteſt. Ea enim vera eſt Caſſiani & omnium Chriſti diſcipulorum ſententia: *Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 2. Etiamſi ex Sancto Chryſoſtomo aſſumpſerit hæc quæ profert Caſſianus ejus diſcipulus hoc capite 8. Collationis XX. non conſequeretur inutilem eſſe ac ſupervacaneam confeſſionem, uti explicato Chryſoſtomo abundanter oſtendimus. 3. Denique perperam hunc Caſſiani locum profert Dallæus. Nam quæſtio poſita eſt de confeſſione ſacramentali, quæ Preſbyteris & Epiſcopis fieri debet ſigillatim. Caſſianus vero loquitur de confeſſione coram hominibus fieri ſolita, tuendæ vitæ aſceticæ ſanctitati valde conducibili & accommodata, ad ſalutem vero comparandam non abſolute neceſſaria. Hujuſce confeſſionis publicæ & non ſacramentalis aſceſim tritam fuiſſe apud Monachos intelligimus ex capite 11. collationis II. Caſſiani: adeoque patet quam ſupervacaneum ſit argumentum, quod ex his Caſſiani verbis aſſumit Dallæus libro IV. de Confeſsione cap. 35. quæ quidem le-

Digitized by Google

gibus hujuſce confeſsionis monaſticæ & coram hominibus faciendæ ſolvunt; neutiquam vero confeſsionem ſacramentalem, quæ fieri debet Epiſcopis aut Preſbyteris, ſigillatim ſpectant.

III. Jam Autorem Librorum de Vita contemplativa excutiamus. Hanc lucubrationem adſcribunt S. Proſpero Patres Concilii Aquiſgranenſis celebrati anno Chriſti DCCCXVI. ad reformationem Canonicorum & Monialium, Gratianus & plures alii Scriptores Eccleſiaſtici: quamvis Gennadius de hoc opere nullam mentionem faciat in Catalogo librorum S. Proſperi, qui vixit anno CCCCLX. Gennadius vero anno CCCCXC. Iſidorus Hiſpalenſis anno DCXXX. hos Libros nominatim tribuit Juliano Pomerio, capite XII. Catalogi Scriptorum Eccleſiaſticorum, ejuſque ſententiam confirmant plures codices MSS. quos laudat doctiſſ. Jeſuita Jacobus Sirmondus in ſuis ad Concilium Aquiſgranenſe Notis pag. 684. tom. II. Conciliorum Galliæ. Ipſe vero Autor Librorum de Vita contemplativa libri II. capite 9. Hilarium Arelatenſem quaſi antiquum Scriptorem laudat: quod convenire neutiquam poteſt S. Proſpero Hilarii æquali. Quæ cum ita ſint, hi Libri de Vita contemplativa

Digitized by Google

templativa probabilius Juliano Pomerio, quam S. Proſpero adjudicari videntur. At vero hic Autor ait lib. II. de Vita contemplativa cap. 7. de confeſsione peccatorum occultorum Sacerdotibus fieri ſolita, & ſua ætate uſu recepta: *Porro illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem.* Defendit Dallæus lib. III. de Confeſsione capite 19. iſtum Autorem alternatim proponere confeſsionem aut emendationem peccati; idque ex hac particula *aut* vehementer comprobat, quam disjunctivam, ut Grammatici dicunt, eſſe mirabiliter contendit, atque ex hac conjectura tertium & vigeſimum argumentum aſſumit adverſus confeſsionis auricularis neceſsitatem, libri IV. de Confeſsione capite 36. pag. 528.

Sed faciliter reſpondeo, particulam *aut* non ſemper eſſe disjunctivam, ſed ſæpe conjunctivam, ac pro particula *&* vel *que* frequenter uſurpari: v. g. apud Virgilium Æneidos libro IX.

nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, AUT *vulnera lavi,*
Veſte tegens.

Digitized by Google

Et libro IV.

Non cœptæ aſſurgunt turres : non arma juventus
Exercet, portuſve AUT *propugnacula bello*
Tuta parant.

Apud Plautum Moſtellariæ actu I. ſcena 2. verſibus 43. & 44.

ſibique AUT *materiæ ne parcunt,*
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt.

Præterea ex Autoris contextu abundanter patet, particulam hanc *aut* conjunctim accipi. Alias enim ſibi perſuaſiſſet, emendationem ſine confeſsione ſufficere, & confeſsionem vice verſa ſine emendatione ad obtinendam veniam; quod abſurdum eſt & incredibile: cum præſertim eodem capite Autor communione Fidelium & ſocietate non confeſſis & emendari renuentibus interdicat. *Ita iſti*, inquit, *qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus depravatis in ſanctorum ſocietate permanſerunt, eos exemplo ſuæ proditionis inficiunt.* Verumtamen defendit Dallæus, ex continuis ſeu ſequentibus verbis abundanter intelligi hanc particulam disjunctim accipi. *Quod & verba ſequentia*, inquit pag. 529. *docent, in quibus nullam facit Sacerdotis, aut cujuſquam alterius mentionem; hoc unum ab iſtis requirit,* UT IPSI SIBI

JUDICES FIANT, ET VELUTI SUÆ INIQUITATIS ULTORES IN SE VOLUNTARIAM POENAM SEVERISSIMÆ ANIMADVERSIONIS EXERCEANT. *Atqui neque ſibi ipſe judex eſt, qui apud Sacerdotis tribunal reus conſiſtit, cujuſque cauſa ab illius examine ac ſententia omnis pendet; neque voluntaria pœna dicenda eſt, quam nos non propria voluntate ſumptam, ſed nobis alterius judicio conſtitutam neceſſario ſubimus.* Hoc jure merito reſpondere videretur Dallæus, ſi Eccleſia Catholica doceret, valere pœnitentias coactas & invito ſuſceptas: ſed econtra nihil ipſa pœnitentia Chriſtiana liberius eſt, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi, ut docet Concilium Tridentinum Seſsione XIV. cap. 4. Seipſum judicet homo, antequam ad Dei judicium ſe ſiſtat. Quis ex hoc concludat, non debere homines ſeipſos judicare, cum Deum judicem habeant? Idem igitur de judicio Miniſtrorum Eccleſiæ, ſeu Sacerdotum Chriſti dicendum eſt, quos Dominus conſcientiarum noſtrarum cognitores, ſuæque autoritatis ſequeſtros conſtituit, ut ex S. Chryſoſtomo ſupra demonſtravimus.

IV. Jam ſuccedat Theodoretus Epiſcopus Cyri. Dubitandi locum non relinquit de

Digitized by Google

confeſsione peccatorum occultorum, libro IV. Hæreticarum Fabularum, capite 10. pag. 242. editionis Sirmondi, quo Audianos hæreticos carpit, non quod peccata confiterentur, ſed quod nec rite & integre confeſſis ſuis pœnitentibus, peccata graviora celantibus, abſolutionem ſeu peccatorum remiſſionem darent. οὗτοι δὲ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ποιεῖσθαι νεανιεύονται. δίχῃ γὰρ τὰς ἱερὰς βίβλους μετὰ τῶν νόθων διελόντες, διαφερόντως γὰρ ταύτας νομίζουσιν ἀποκρύφους καὶ μυστικὰς, καὶ στιχηδὸν ἔνθεν καὶ ἔνθεν τεθεικότες, διαβαίνειν ἕκαστον μεταξὺ τούτων κελεύουσι, καὶ τὰ πλημμεληθέντα ὁμολογεῖν. εἶτα τοῖς ὡμολογηκόσιν δωροῦνται τὴν ἄφεσιν· οὐ χρόνον ὁριζόμενοι εἰς μετάνοιαν, καθὰ κελεύουσιν οἱ τῆς ἐκκλησίας θεσμοὶ, ἀλλ' ἐξουσίᾳ ποιούμενοι τὴν συγχώρησιν. εἰδότες δὲ οἱ διαβαίνοντες παιδιὰν τὸ γινόμενον, τὰ μὲν ἀληθῆ πλημμελήματα κατακρύπτουσι, σμικρὰ δέ τινα λέγουσι, καὶ γέλωτος ἄξια, ἃ καὶ λέγειν ὀκνήσαιεν ἄν τις, εἰ μὴ τὴν τούτων ἔχοι φρενοβλάβειαν. *Hi autem* (ſcilicet Audiani) *peccatorum remiſſionem dare ſe jactant. Duas enim in partes libros ſacros cum adulterinis dividentes, (hos enim eximie arcanos & myſticos exiſtimant) & ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent tranſire unumquemque, & peccata ſua confiteri: deinde confeſſis dant veniam; non tempus ad pænitentiam definientes, ſicut*

Eccleſiæ leges præcipiunt; ſed poteſtate condonantes. Scientes autem qui ſic tranſeunt, ludum eſſe quod agitur, vera peccata celant, & parva quædam riſu digna dicunt, quæ & dicere aliquem pigeat, niſi eadem qua ipſi amentia teneatur. Ex his enim intelligimus, errorem Audianorum fuiſſe, quod peccata ſua celarent; adeoque doctrinam Eccleſiæ fuiſſe, ea miniſtris revelare. Cum autem manifeſta & publica peccata non revelentur, aliunde ſatis perſpecta: planiſſime conſequitur, eo tempore occulta & arcana Sacerdotibus fuiſſe explicata ad obtinendam remiſſionem.

CAPUT XIX.

Argumentum aſſumitur a Sancto Leone Papa I. Diluuntur objectiones ex eodem S. Leone, & S. Laurentio Novarienſi, a Dallæo propoſitæ.

I. Confessionis auricularis neceſſitas apud S. Leonem adeo perſpicua eſt, ut nulla res infirmare poſſe videatur, quam ipſe Dallæus reſponſionum ſuarum imbecillitate mirabiliter ſuſtentat. Primus locus profertur ex capite 2. Epiſtolæ CXXXVI. juxta editionem R. P. Paſchaſii Queſnelli,

Oratorii Domini JESU Preſbyteri doctiſſimi, nobis amiciſſimi, quæ in anterioribus editionibus erat LXXX. *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium ejuſmodi ſunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare; removeatur tam improbabilis conſuetudo: nec multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Plura ſunt in his S. Leonis verbis multa cogitatione reputanda & animadverſione digna. 1. Pravam conſuetudinem ſcripto publico exarata peccata recitandi palam abrogare vult ſanctiſſimus Pontifex. 2. Cauſam

habet abrogationis, quoniam ſufficit ſolis Sacerdotibus indicari peccata confeſſione ſecreta, & plures poterunt ad pœnitentiam inſtigari, ſi celata conſcientia confitentis coram plebe non manifeſtetur. *Sufficit enim illa conf ſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti. Cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

Verumtamen intendit animo Dallæus libri III. de Confeſſione capite 18. hunc locum nihil attinere: quoniam S. Leo ſpectat pœnitentes publicos, qui peccata publica tantum confitebantur; neutiquam vero recondita, de quorum confeſſione neceſſario Sacerdotibus facienda tota quæſtio eſt.

Dubium non eſt, S. Leonem eo loci loqui de pœnitentibus publicis: id enim invictiſſimè demonſtravit R. P. Petavius, Jeſuitarum doctiſſimus, in ſuis ad S. Epiphanium Notis pag. 148. Sed non conſequitur, præter confeſſionem peccatorum publicorum nullam fuiſſe occultorum. Immo vero ipſe Petavius nos docet ibidem, tempore S. Leonis fieri ſolitas pro peccatis occultis publicas pœnitentias: adeoque valde probabile

Digitized by Google

eſt, eo loci S. Leonem ſpectare confeſſionem ſecretam peccatorum occultorum, quæ publicis ſatisfactionibus expiabantur. Enimvero ſi animo intenderet ſolitariam confeſsionem peccatorum publicorum, perperam diceret, pravam fuiſſe conſuetudinem ea revelandi publice, quæ palam omnibus perſpecta erant: nec poſſet deterior abrogandæ confeſsionis publicæ ratio proferri. *Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis.* Quippe cum nihil magis auribus populi publicetur, quam conſcientia peccatoris publici. Cum præſertim leges ac canones confeſtim agerentur, quibus ſpecialis ac ſingularis ritus abſolvendi a peccatis publicis inſtitutus fuerat in Concilio Carthaginenſi anno Chriſti CCCCXIX. annis circiter quadraginta antequam S. Leo hanc Epiſtolam ſcriberet. *Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.*

II. Secundus locus exſcribitur ex Epiſtola LXXXII. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis do-*

Digitized by Google

na violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic Divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Hucuſque nemo non videt, S. Leonem omnem peccatorum lethalium animo intendiſſe ſpeciem, tum occultorum, cum publicorum. Quamobrem continua ejuſdem loci verba de iiſdem peccatis indiſcriminatim occultis & publicis confeſsione purgandis intelligere neceſſe eſt. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus* JESUS *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri confeſſione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Reſpondet Dallæus, hæc omnia ſpectare pœnitentes publicos & pœnitentiam publicam; quod quidem libenter fatemur. Sed neutiquam conſequitur, confeſsionem de qua loquitur S. Leo, non fuiſſe peccatorum reconditorum, & ſolummodo ſignificare generalem peccatorum manifeſtorum & palam commiſſorum recognitionem, atque intimum & publicum doloris ac reſipiſcentiæ ſenſum, ſeu ipſam ſatisfactionem & pœnitentiæ actionem. Enimvero confeſsio de qua mentionem facit S. Leo, præcurrebat actioni pœni-

tentiæ: quippe cujus diuturnitatem aut brevitatem Sacerdotes ex parta cognitione per confeſsionem ſtatuebant ac circumſcribebant. Revera Dallæus fatetur, illam confeſſionem quæ in aurem Epiſcopi fieri ſolebat, de qua loquitur S. Leo, fuiſſe ſecretam & non publicam. *Confeſſionem, qua de lapſibus ſuis pœnitens Epiſcopum docebat, concedo non fuiſſe publicam, idque ex ſuperiore Leonis loco valide probari.* Sed obfirmato pectore pernegat, occulta ac ſecreta peccata ejuſmodi confeſsione enunciata fuiſſe. Quamobrem ſuggillat Bellarminum, & ait: *Ex quibus denique apparet, quam partim ludicra, partim falſa ſit Bellarmini concluſio, Leonem loqui de confeſſione ſecreta, & peccatis omnibus, etiam occultis.* Sed quid neceſſe erat, peccata publica ſecreta confeſsione explicare? ad quid ejuſmodi confeſsio conducibilis erat, qua peccata omnibus nota declarabantur? Nemini homini ſanæ mentis compoti in cogitationem unquam incurrit, clam committere fidei alicujus rem manifeſtam atque omnibus perſpectam, niſi ludificare voluerit. Quapropter jure merito transferendum videtur in Dallæum, quod ipſe de Bellarmino irridicule dixit: Ex quibus denique apparet, quam partim ludicra, partim falſa

Digitized by Google

ſit Dallæi concluſio, Leonem loqui de con-"
feſsione ſecreta, ſed de peccatis quibuſdam"
tantum, ſcilicet publicis & vulgatiſsimis, ab"
univerſa Eccleſia notis. "

III. Interim Dallæus eadem via qua cœpit pergit, & argumentum propugnat lib. IV. de Confeſſ. capite 12. pag. 397. ac defendit, tempore S. Leonis prorſus ignotam fuiſſe confeſsionem auricularem, quoniam ait Sermone XLII. ſive V. de Quadrageſima, cap. 3. ſibi conſcientias ſingulorum patere non poſſe. *Quia nobis conſcientiæ ſingulorum patere non poſſunt.* Atque ex his concludit, non poſſe ori hominis induci ejuſmodi ſermonem, cujus ætate confeſsio auricularis uſu recepta ſit.

Revera mirum eſt ejuſmodi objectionem incurrere in caput hominis qui cerebrum habeat. Nam S. Leo queritur, ignotas ſibi hominum conſcientias, qui peccata ſua confiteri & pœnitentiam agere renuebant, & inſolenti audacia ad Chriſti menſam, largaſque tempore Paſchatis Euchariſtiæ dapes accedere non verebantur. Quamobrem inobedientes ejuſmodi peccatores ad pœnitentiam hortatur vehementer. *Non ſunt longæ*, inquit, *vitæ mortalis induciæ, nec diuturna eſt licentia inſipientium voluptatum in æternarum dolorem*

tranſitura pœnarum : ſi dum juſtitiæ ſententiæ ſuſpenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur.
Igitur facile retorqueri poſſet argumentum Dallæi. Siquidem integra cauſa querimoniæ S. Leonis de ignotis ſibi hominum conſcientiis exſurgat, ex eo quod ſua delicta Sacerdotibus confiteri & explicare negligerent; conſequitur manifeſte, legibus confeſſionis auricularis eo tempore omnes homines obnoxios fuiſſe.

IV. Venio jam ad Laurentium Novarienſem. Vulgo creditur floruiſſe labente ſexto Eccleſiæ ſæculo, dubitaturque numquid non de eo mentionem fecerit Sigebertus capite CXX. Libri de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſub nomine Laurentii Mellifluі, quem ait homilias ore quaſi mellito declamaſſe. Utcumque res ſit, duas tantum habemus ſuperſtites hujuſce Autoris Homilias, de Pœnitentia ſcilicet & Eleemoſyna : tomo VI. Bibliothecæ Patrum, editionis anni MDCXVIII. pag. 333. ex quarum altera, videlicet de Pœnitentia, intendit animo Dallæus aſſumere argumentum inviсtiſſimum adverſus confeſſionem auricularem, quod quidem prima fronte aciem oculorum perſtringit, ſed revera imbecillum, & non eſt unde ſuppeditetur. Hunc vero locum citat libri IV. de Confeſſione capite 38.

pag. 531. *Ex illa die illaque hora qua egreſſus es de lavacro, ipſe tibi fons jugis, & diuturna remiſſio. Non opus habes doctore: non dextra Sacerdotis. Mox ut aſcendiſti de ſacro fonte, veſtitus es veſte alba, & unctus es unguento myſtico; facta eſt ſuper te invocatio, & venit ſuper te trina virtus, quæ vas novum hac nova perfudit doctrina. Exinde te ipſum ſtatuit tibi judicem & arbitrum; deditque tibi notitiam, ut poſſis ex te diſcere bonum & malum, id eſt, inter meritum & peccatum. Et quia non poteras manens in membris corporiſque compage, liber exiſtere a peccato, immuniſque eſſe a noxa, poſt Baptiſma remedium tuum in te ipſo ſtatuit, remiſſionemque in arbitrio tuo poſuit, ut non quæras Sacerdotem, cum neceſſitas flagitaverit; ſed ipſe jam ac ſi ſcitus, perſpicuuſque magiſter, errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas. Itaque deſinat duritia, ceſſet deſperatio; deſinat ignavia; fons nunquam deficit; aqua intus eſt; ablutio in arbitrio eſt; ſanctificatio in ſolertia eſt; remiſſio in rore eſt lacrymarum. Noli te te ſolvere in ſegnitiem. Fons eſt in homine conſervatus perpetua pœnitudo.*

Tota hujuſce loci difficultas exſurgit ex eo quod ait S. Laurentius, peccatorem poſt Baptiſmum *non opus habere doctore, non*

dextra Sacerdotis, & remiſſionem in arbitrio poſitam eſſe, ut non quærat Sacerdotem, cum neceſſitas flagitaverit. Ego vero ex eo contrariam concluſionem aſſumendam eſſe defendo. Hæc enim verba, *cum neceſſitas flagitaverit*, non ſignificant vocandum non eſſe Sacerdotem, cum eo opus eſt, & ejus miniſterio indigemus, ſeu neceſſitas flagitat; hoc enim inſulſum & futile videretur: conſequeretur enim, neceſſe eſſe confugere ad Sacerdotem aliquando, & eo tamen opus non eſſe. Senſus igitur eſt, in caſu neceſſitatis, ſeu cum opis noſtræ non eſt habere Sacerdotem, ſi peccato ſemel inquinati ſimus poſt Baptiſmum, intimo doloris ſenſu, vera reſipiſcentia, jejuniis ac lacrymis extergi poſſe peccatum, ac remiſſionem procurari ſine miniſterio Sacerdotis. Quod quidem nihil ab inſtitutis & doctrina Eccleſiæ Romanæ alienum habet. Immo vero ſi Laurentii Novarienſis ſenſus eſt, cum neceſſitas flagitaverit; hoc eſt, in caſu neceſſitatis peccatorem non egere miniſterio Sacerdotis ad procurandam ſibi peccati mortalis remiſſionem; conſectaneum neceſſarium eſt ipſum exiſtimaſſe, cum neceſſitas non flagitaverit, hoc eſt, extra caſum neceſſitatis vocandos eſſe Sacerdotes: adeoque locum hunc a Dallæo perperam ci-

tatum dogmati confeſſionem auricularem conſtituenti vehementer patrocinari.

CAPUT XX.

Explicantur S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Canon VIII. *Concilii Cabilonenſis celebrati anno Chriſti* DCL. *& Canon* CII. *Concilii Quiniſexti in Trullo.*

I. Tanti fecerunt majores noſtri Homilias S. Cæſarii, ut pleraſque cum Auguſtinianis miſcuerint. At vero duo loci ex Operibus hujuſce Patris in rem confeſſionis auricularis proferuntur, quorum primus exſcribitur ex Homilia XIV. pag. 759. tomi V. Bibliothecæ Patrum anni MDCXVIII. his verbis conceptus : *Si vero peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera* TEGENDO *vel defendendo putreſcere, quæ* CONFITENDO *& pœnitentiam agendo curare noluit, timendum eſt ne in illo impleatur illud quod Apoſtolus dixit, &c.* Porro ex his tria potiſſime intelligimus. 1. Confeſſionem, ſi ea uti velimus, curandis animi vulneribus valde conducibilem, *quæ confitendo & pœnitentiam agendo curare noluit.* 2. Hoc remedium eſſe ma-

xime accommodatum curandis peccatis ſecretis : nihil enim aliud hæc verba ſignificant, *Et animarum vulnera tegendo vel defendendo putreſcere* : quippe cum peccatum tegere ſit idipſum occulere, & clauſum tenere. 3. Ex integro Homiliæ contextu clariſſime patet, S. Cæſarium ſpectare peccata mortalia & capitalia : ſed præſertim ex his verbis exordii : *Rogo vos, fratres cariſſimi, ut ſi forte aliquis ex vobis, ut ſe habet humana fragilitas, calliditate diaboli fuerit ſuperatus, & capitalibus criminibus involutus.*

Secundus locus aſſumitur ex initio Homiliæ XVII. *Vnde vos frequenter admonui, fratres cariſſimi, iterum atque iterum admoneo, & conteſtor, ut qui ſe cognoſcit de litore continentiæ tempeſtate libidinis in pelago luxuriæ fuiſſe jactatum, & caſtitatis incurriſſe naufragium: peccatorum confeſſionem, velut tabulam fractæ navis, velociter apprehendat, ut per ipſam de abyſſo ac profundo luxuriæ poſſit evadere, & ad portum pœnitentiæ pervenire.* Ex qua valde probabile eſt, S. Cæſarium confeſſionem peccatorum occultorum ſpectaſſe ; cum fere ſemper, non raro, aut plerumque clam, remotis arbitris, & in abditis latebris caſtitatis periculum fiat. Verumtamen ſibi Dallæus de inventa mirabili ſolutione gratulatur lib. III.

iii. de Confeſſ. capite 22. dum ait, S. Cæſarium eo loci indigitare voluiſſe ſolitariam confeſſionem quorumdam graviorum & atrociorum criminum manifeſtorum, pro quibus veteres canones pœnitentiæ publicæ ſtadium præſcripſerant: & contendit ex eo nihil colligi poſſe ad patrocinium aut præſidium confeſſionis omnis generis peccatorum, occultorum ſcilicet & publicorum indiſcriminatim, quæ in unius aurem Sacerdotis fieri ſolet, obtemperando legi omnibus hominibus poſt Baptiſmum lapſis impoſitæ. Sed hoc effugium infeliciter procedit Dallæo: feram enim iterum agitare facile eſt. Nam S. Cæſarius per capitalia peccata, non ſolum intelligit ea quæ pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur canonibus antiquis; qualia ſcilicet erant, mœchia, homicidium, & idololatria: verum etiam falſum teſtimonium, furtum, rapinam, ſuperbiam, invidiam, avaritiam, iram, ebrietatem, (quibus expiandis antiqui canones nullam pœnam præſcripſerant) uti intelligimus ex Homilia viii. hujuſce Patris, quæ inter Auguſtinianas de Sanctis xli. locum occupat. Præterea pœnitentia publica a canonibus impoſita criminibus, non erat quotidiana; ſeu laboribus ejus obeundis Fideles omnes ſingulis diebus non

Digitized by Google

tenebantur. Pœnitentia vero de qua loquitur Cæſarius, confeſtim agenda eſt quotidie, & ab ea Clerici & laici, Sacerdotes & Monachi non ſunt immunes. Hæc enim abundanter perſpecta ſunt ex Homilia ix. inter eas quas doctiſſimus Baluzius ad fidem codicis MS. Regii publici juris fecit Pariſiis anno Chriſti MDCLXIX. *Et quia nobis, dilectiſſimi fratres, non ſolum minuta peccata, ſed etiam crimina majora die noctuque conantur obripere, nos non ad illam pœnitentiam, quæ in finem accipitur, reſervemus: ſed omni die quamdiu vivimus, pœnitentiam agere ſtudeamus. Quam rem non ſolum laici & Clerici, ſed etiam ipſi Monachi & Sacerdotes debent jugiter exercere.*

II. Attamen fateri opus eſt, S. Cæſarium his locis ſpectare ſpeciem quandam pœnitentiæ publicæ, qua peccata gravia etiam ſecreta plerumque ejus ætate expiabantur; neutiquam vero eam pœnitentiam ritualem, tot gradibus diſtinctam, & antiquis canonibus præſcriptam certis quibuſdam peccatis, idololatriæ, mœchiæ & homicidii. Ea vero ſpecies pœnitentiæ publicæ, quæ in interdictione ab Euchariſtia præſertim conſiſtebat, ad Epiſcopi arbitrium & prudentiam circumſcribebatur omnibus aliis peccatis

Digitized by Google

lethalibus, ſive occultis, ſive publicis.

De hac veritate nullus dubitandi locus relictus eſt tempore S. Cæſarii, quo videmus pœnitentes publicos potuiſſe ſecretius agere pœnitentiam ſibi impoſitam: quod numquam de peccatis, quibus a canonibus præſcripta erat pœnitentiæ norma, dictum eſt. Porro id ſatis patet ex Homilia I. earum quas publicavit clariſſ. Baluzius anno MDCLXIX. *Et ille quidem qui pœnitentiam publice accipit, poterat eam ſecretius agere.* Igitur nihil magis eſt a veritatis inſtitutis alienum, quam ſibi perſuadere, S. Cæſarium exiſtimaſſe, confeſſione quædam tantum peccata atrociora & capitalia ſpeciatim deleri; neutiquam vero generaliter omnia peccata mortalia, ſive occulta, ſive publica.

III. Eodem capite Dallæus non ſe facilius objectione Bellarmini lib. III. de Pœnitentia cap. 5. extricat, aſſumpta ex Canone VIII. Concilii Cabilonenſis celebrati anno Chriſti DCL. tom. I. Concil. Gall. Sirmondi, pag. 491. ſub hoc titulo: *De pœnitentia peccatorum a Sacerdotibus indicenda. De pœnitentia vero peccatorum, quæ eſt medela animæ, utilem hominibus eſſe cenſemus: & ut pœnitentibus a Sacerdotibus data confeſſione, indicatur pœnitentia, univerſitas Sacerdotum noſcitur conſentire.*

Digitized by Google

Quis enim ex his accurate deſcriptam confeſſionem peccatorum apud Sacerdotes non intelligat? Supervacaneum eſſet hæc omnia in pœnitentiam publicam transferre. Enimvero cum ea ætate nondum obſoleta eſſet conſuetudo pœnitentiæ publicæ pro quibuſdam gravibus peccatis occultis, manifeſte ſemper conſequeretur, Sacerdotibus omne genus peccati indiſcriminatim occulti & publici enunciatum fuiſſe.

IV. Comprobandæ ſententiæ noſtræ moram injicere non debet Canon CII. Concilii Quiniſexti Conſtantinopolitani in Trullo. Δεῖ δὲ τοὺς ἐξουσίαν λύειν καὶ δεσμεῖν παρὰ Θεοῦ λαβόντας, σκοπεῖν τὴν τῆς ἁμαρτίας ποιότητα, καὶ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος πρὸς ἐπιστροφὴν ἑτοιμότητα, καὶ οὕτω κατάλληλον τὴν θεραπείαν προσάγειν τῷ ἀῤῥωστήματι. *Oportet autem eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit, ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem adferre medicinam.* Nihil enim juvat de pœnitentia publica hunc intelligere: ſiquidem ea ætate pro peccatis occultis æque ac publicis confeſtim ageretur. At vero ex hoc Canone intelligimus, Sacerdotes eſſe animarum noſtrarum medicos, adeoque debere conſcientiarum repagula & viſcera

Digitized by Google

intime penetrare, & accurate ſpeculari; quod ſola confeſſionis ope fieri poteſt. Quid enim hæc verba ſignificant, τὴν ἁμαρτίας ποιότητα σκοπεῖν, *niſi peccati qualitatem accurate ſpeculari?* Quod valde congruit Concilio Laodiceno, de quo ſupra, quod hanc peccati qualitatem nuncupat τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος. Ex eodem Canone c i i. in Trullo intelligimus, neceſſe eſſe Sacerdotes intimos animarum noſtrarum receſſus penetrare, ex comparatione Sacerdotis cum medico, dum ait: *Oportet primum ejus qui peccavit, affectionem, ſeu animum, diſquirere.* πρότερον χρὴ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος διάθεσιν ἐπισκέπτεσθαι. Nam apud Græcos, ὁ ἐν διαθέσει λόγος, ſermonem animo conceptum ſignificat, ſive intimum cordis & animi ſecretum; & Autores ſacri hoc verbo ἐπισκέπτομαι uti ſolent, ut ſignificent, res occultas & intimas ſcrutari & videre. Matthæi cap. xxv. ℣. 36. ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με, *Ægrotavi, & viſitaſtis me.* Jeremiæ cap. v. ℣. 9. μὴ ἐπὶ τούτοις οὐκ ἐπισκέψομαι; *Numquid ſuper his non viſitabo?* Igitur dubitandi locus non relinquitur, confeſſione ſecreta hoc Canone præſcripta, ea ætate peccata expiata fuiſſe, ejuſque uſum ſine repugnantia receptum fuiſſe.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Explicatur S. Ioannes Climacus, Abbas Monaſterii Montis Sinai, anno Chriſti DLXXX.

CARDINALIS Bellarminus lib. III. de Pœnitentia capite 10. teſtimonium hujuſce Patris confeſſioni auriculari valde propitium profert, aſſumptum ex gradu IV. libri ſub titulo Scalæ Paradiſi. περὶ πάντων ἐξομολογησώμεθα τῷ καλῷ ἡμῶν δικαστῇ, καὶ μόνῳ. εἰ δὲ κελεύει, καὶ πᾶσι. Quod ſic traduxit Ambroſius Florentinus, Camaldulenſium Præfectus generalis: *Ante omnia vero culpas noſtras præclaro judici noſtro ſoli confiteamur; omnibuſque, ſi ita ille juſſerit, confiteri parati ſimus.* Vi loci iſtiuſmodi decretorii conſtrictus Dallæus multis contendit verbis, S. Joannem ſpectare ſingularem Monachorum aſceſim, ex qua concluſio generalis adverſus omnes Fideles perperam colligitur; & quæ ille de diſciplinis Monachorum dicit, ea inſcite ac perperam ad omnes omnino Fideles trahi. Lib. III. de Confeſſ. cap. 21.

I. Revera fateri neceſſe eſt, repugnare ſenſui communi hominum, inficiari S. Joannem Climacum eo loci ſpectaſſe quemdam peculiarem uſum atque aſceſim Monachorum quibus præerat. Sed etiamſi ita ſe res habeat, non impedit quominus ex ea recte colligatur, omnes Fideles lege confeſſionis ſuorum peccatorum apud Sacerdotes teneri. Ea enim confeſſione, cujus neceſſitas omnibus impoſita eſt, prætermiſſa, nullus remiſſione peccatorum ſuorum potietur. At quis dubitet eam eſſe, quam exigit S. Joannes Climacus? de qua ſic ait: *Quocirca jam & illos ad confeſſionem hoc exemplo provoco, qua ſine nullus remiſſione potietur.* καὶ διὰ τοῦ-το λοιπὸν ἐκείνους εἰς ἐξομολόγησιν προτρεπόμενος, ἧς χωρὶς οὐδεὶς ἀφέσεως τεύξεται. Hoc confeſſioni aſceticæ & monachali non competit, ſine qua quotquot ſunt homines non Monachi veniam obtinent. Nec dicendum eſt, confeſſionem ſacramentalem quam defendimus, non eſſe publicam; eam vero de qua loquitur Climacus, omnibus fieri ad libitum præſidis. εἰ δὲ κελεύει, καὶ πᾶσι. Non enim opus eſt tædioſa repetitione iterare quæ ſupra diximus de tempore Origenis, quo palam coram univerſa Eccleſia ad arbitrium Sacerdotis ſeu Epiſcopi, prout æquum ju-

ſtumque exiſtimabat, peccata enunciabantur : oſtendimus enim, hanc diſciplinam pro temporum varietate mutationi obnoxiam fuiſſe. Sed inſuper non de publicatione aut occultatione confeſſionis ait S. Joannes Climacus : *ſine qua nemo remiſſione potietur :* ſed de ipſa confeſſione apud Sacerdotem facta ſolitarium, vel apud omnes coram univerſa Eccleſia, prout Abbas bene ac ſapienter arbitrabatur. Quamobrem hæc Dallæi inſulſa & abſurda videtur exclamatio : *Quis enim non videt, quam ſtultum, quamque abſurdum ſit negare quemquam ſine illa publica peccatorum quam ſignificat*, ἐξαγορεύσῃ, *enunciatione veniam aut ſalutem conſequi poſſe ?* Quippe cum ipſe continenter ſtrictim acceptis his S. Joannis Climaci verbis, *ſine qua nemo remiſſione potietur*, ea de confeſſione peccatorum generatim & generaliter intelligat. *Quid ergo eſt, inquies ?* (ait) *Profecto, aut fatendum eſt iſtum Monachum* (ſcilicet Climacum) *parum conſiderate hæc locutum eſſe, adeoque merito a nobis negligendum; aut ejus verba, nonnulla quidem, ſed exigua vi adhibita, ſic ſumenda ſunt, ut exomologeſim in genere intelligat quamcumque confeſſionem cum vera peccatorum deteſtatione conjunctam; ſive ea apud Eccleſiam publice, (quod iſti maxime placuiſſe vi-*

Digitized by Google

detur) ſive apud præſidem in arcano, ſive denique apud Deum ſolum fiat. Nam & hanc quin intellexerit, vix dubitari poteſt; cum verbis ea quæ deſcripſimus, immediate antecedentibus locum illum Prophetæ recitaverit, qui de confeſſione apud unum Deum eſt. Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti iniquitatem cordis mei. Jam ergo inveſtigare noſtri inſtituti potiſſimum eſſe videtur, utrum animo falſus ſit Dallæus, dum S. Climacum de confeſſione ſoli Deo facienda loqui exiſtimat.

II. Cum ex iis quæ ſuperioribus capitibus dicta ſunt, abundanter perſpectum ſit, veteres Eccleſiæ Patres poteſtatem remittendi peccata hominibus a Chriſto conceſſam, ab ea quæ Deo competit omni diſcrimine remoto promiſcue intellexiſſe: nullus admirationi locus relictus eſt ex eo quod plerumque verba Scripturæ, quæ confeſſionem Deo faciendam comprobant, in confeſſionem peccatorum apud Sacerdotes peragendam tranſtulerint. Idipſum præſtat S. Joannes Climacus eo loci, quo poſtquam protulit locum Pſalmi, *Dixi, Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*, ex quo Deo facta confeſſio intelligitur; loquitur tamen de confeſſione facta *ſoli præſidi, & ſi jubeat, co-*

ram omnibus. ἢ μόνῳ, εἰ δὲ κελεύει, καὶ πᾶσι. Sed nec mihi, nec Dallæo credendum eſt; nemo enim homo propriæ cauſæ judex eſt: ſed ad ipſum Joannem, aut Scriptores ipſi æquales, & mentis ejus æquos interpretes appellandum eſt, & ab iis, an ſoli Deo faciendam confeſſionem peccatorum intellexerit, addiſcendum. 1. Ipſe mentem ſuam apertiſſime verbiſque dilucidis explicat: nam eodem gradu hujuſce Scalæ Paradiſi de confeſſione Sacerdoti, non ſoli Deo facienda ſic ait pagina 69. editionis Græco-Latinæ Matthæi Raderi Jeſuitæ doctiſſimi, anno MDCXXXIII. ψυχὴ ἐξαγορεύσεων ἐννοουμένη, ὡς ὑπὸ χαλινοῦ, ὑπὸ ταύτης κατέχεται μὴ ἁμαρτάνειν. τὰ γὰρ ἀνεξαγόρευτα ὡς ἐν σκότει ἀδεῶς λοιπὸν πράττομεν. *Qui confeſſionem peccatorum ſemper animo revolvit, ab illa tamquam freno, ne peccet coercetur. Celanda enim deinceps velut tenebris ſepelienda ſecure admittimus.* Et continenter pagina 72. μὴ ἀπαξιώσῃς ὡς Θεῷ, τῷ βοηθῷ ἐν καταβεβλημένῳ ἤθει τὴν ἐξομολογίαν ποιήσασθαι. *Non dedigneris velut Deo, adjutori tuo animo ſubmiſſo confeſſionem facere.* 2. Joannes Abbas Raythu, cujus inſtigatione S. Joannes Scalaſticus Scalam Paradiſi compoſuerat, dedita opera ſcholiis ad hanc lucubrationem factis, dum adhuc in vivis Autor

erat, hæc verba, *ad confeſſionem, qua ſine nullus remiſſione potietur*, explicat aperte, non de confeſſione ſoli Deo, ſed de confeſſione apud Sacerdotes facienda, cujus fuit omnibus Divino mandato neceſſitas impoſita. Lege tom. VI. Bibliothecæ Patrum Coloniæ MDCXVIII. pag. 302. lit. C. *Ad confeſſionem, qua ſine nullus remiſſione, &c. Quia confiteri ſimpliciter peccata tenemur* EX NECESSITATE DIVINI MANDATI, *patet ex Apoſtolicis traditionibus, & regulis ab eis propoſitis Eccleſiæ Catholicæ per Spiritum ſanctum, quorum canones & inſtituta tenentes,* DEI SACERDOTIBUS *juxta eorum præceptum peccata confitentes, indulgentiam & remiſſionem accipere efficimur digni.*

III. Propterea tamen Dallæus opinionem quam tuendam recipit, defendere non deſiſtit: & cum amplius negare non poſſit, S. Climacum eo loci ſpectaſſe confeſſionem ſua ætate ex obtemperatione mandato Divino apud homines factam, contendit ea explicata fuiſſe ſolitaria peccata mortalia, poſtpoſitis venialibus; adeoque ad omnia ſigillatim peccata diffuſam non fuiſſe. Quod quidem Eccleſiæ Catholicæ doctrinæ ac dogmati de confeſſione auriculari nihil officit, cui ſola peccata mortalia neceſſario obnoxia

Digitized by Google

fuiſſe fatemur perlibenter. Inſuper addit, hæc mortalia peccata ad manifeſta & capitalia eſſe contrahenda : quippe cum ad ea quæ clauſa & occulta remanebant, confeſſio non porrigeretur. *Eorum*, inquit, *ſcilicet quæ & capitalia & manifeſta ſunt; qualia erant ſcelera latronis qui confeſſus fuerat.* Sed ejuſmodi reſponſio infeliciter procedit, nec Dallæo propitium effugium faciliter aperit. Nam luce meridiana clarius patet, S. Joannem Climacum eo loci ſpectare peccata occulta & recondita. Quis enim, niſi exceſſerit de poteſtate ſenſus communis, aliud intellexerit ex hac adhortatione ad confeſſionem ? *Qui confeſſionem peccatorum ſemper animo revolvit, ab illa tanquam freno, ne peccet coercetur. Celanda enim deinceps velut tenebris ſepelienda ſecure admittimus.* τὰ γὰρ ἀνεξαγόρευτα ὡς ἐν σκότει ἀδεῶς λοιπὸν πράττομεν.

CAPUT XXII.

Confeſſionis auricularis uſus tempore S. Gregorii Magni Papæ I. continuo receptus comprobatur.

INVENTUM difficilem haberet poſt Concilium Tridentinum Theologus, qui de confeſſionis neceſſitate apud Sacerdotes faciendæ dilucidius ſcripſerit S. Gregorio Magno. Hoc enim abundanter perſpectum habemus ex Homilia XXVI. in caput XX. Evangelii S. Joannis; ex qua intelligimus apparatum ſeu diſpoſitionem, cujus nemini homini vacationem habere licet ad veniam peccatorum ſuorum adſpiranti. *Ex qua conſideratione* (inquit de Lazaro ad priſtinam vitam revocato) *intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem autoritatem ſolvere, quos autorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati. Unde & huic ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reviviſce: ſed, Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcon-*

Digitized by Google

dit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli; ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Porro ex his tria apertiſſime intelliguntur.

I. Dubium non eſt, S. Gregorium eo loci mentionem facere confeſſionis peccatorum occultorum. Quis enim aliam explicationem his verbis inducat? *Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur.* Atque his continenter: *Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates.* At vero ſi jam inficiari non poſſit Dallæus, quin ſpectet S. Gregorius peccata recondita; non poteſt defendere, S. Gregorium eo loci reſpicere peccata pœnitentiæ publicæ obnoxia. Quippe cum infinitis locis ſui Operis de Confeſ-

ſione auriculari aperto Marte propugnet, ejuſmodi peccata clauſa & occulta numquam fuiſſe incudi pœnitentiæ publicæ reddita. Vel ſaltem, ſi adeo anticipatæ opinionis tenax ſit, ipſum recognoſcere neceſſe eſt, ætate ſanctiſſimi Pontificis Gregorii officinam pœnitentiæ publicæ occultis non ſecus ac publicis peccatis reſeratam fuiſſe.

II. Certum eſt, hac confeſſione de qua loquitur S. Gregorius, enunciata fuiſſe tantum peccata mortalia; neutiquam vero venialia, uti nos docet his verbis: *Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte cuilibet* MORTUO IN CULPA DICERETUR: *Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis?* Et ſequentibus: *Veniat itaque foras* MORTUUS, *id eſt, culpam confiteatur peccator.* Ut ipſemet recognoſcit Dallæus lib. III. de Confeſſione capite 20.

III. Dilucidis etiam verbis docet S. Gregorius eadem Homilia, quam neceſſe ſit pœnitenti habere peccati ſui contritionem ſeu compunctionem per ſuſcitantem gratiam vivificantem, ut autoritate Epiſcopi aut Preſbyteri ſolvi poſſit. *Cauſæ ergo*, inquit, *penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gra-*

Digitized by Google

tiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur judicis. Et infra: *Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem autoritatem ſolvere, quos autorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.* Idem beatiſſimus Papa docet, ex confeſsione peccatorum perſpectam haberi illam compunctionem cordis per ſuſcitantem gratiam vivificantem. *Quæ nimirum*, inquit, *vivificatio ante operationem rectitudinis, in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati.* Quamobrem ipſe Dallæus quædam peccata confeſsioni eſſe obnoxia fatetur; & in poteſtate Epiſcoporum poſitam eſſe remiſſionem ſcelerum recognoſcit. *Ergo*, inquit, *non aliud ex Gregorio ſequitur, niſi hoc unum, quoddam eſſe peccatorum genus confeſſioni apud Paſtores edendæ obnoxium; quod nos libenter concedimus.* Sed effugium mirabiliter invenit ſibi fingens, S. Gregorium ſpectare eo loci peccata manifeſta, & pœnitentiæ publicæ obnoxia, quæ ſola putat eſſe vere lethalia. Quis vero non videat quam inſulſe ad ejuſmodi rudentem confugiat Miniſter? & quis ſibi perſuadeat, S. Gregorium, dum ait, culpam intra conſcientiam abſcondi & latere, & in penetralibus occultari, culpam publicam

blicam & manifeſtam ſignificare voluiſſe? Præterea incredibile eſt, veteres Patres vere lethalia non reputaſſe peccata mendacii, ebrietatis & uſuræ, quamvis ea pœnitentiæ publicæ, antiquis canonibus præſcriptæ ritibus non expiarentur.

IV. R. P. Morinus, Congregationis Oratorii Preſbyter doctiſſimus, libro 1. Hiſtoriæ Sacramenti Pœnitentiæ, capite 13. pag. 32. citat locum Sancti Gregorii, confeſsioni auriculari valde propitium, ex Commentario in cap. 15. libri 1. Regum, quem hic prætermittere nefas eſt. *Tria*, inquit, *in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. Nam, qui corde non convertitur, quid prodeſt ei, ſi peccata confiteatur? Peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem ſunt, qui peccata confitendo aperiunt, ſed non convertendo, nequaquam deteſtantur. Hi profecto confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Vnde & ſalubriter confiteri volentibus Scriptura inſinuat dicens: Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad juſtitiam per*

amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis, fructum habet bonæ converſionis. Hic certe jam ad ſalutem confitetur: quia plus loquendo de vulnere ejicit, quam converſione compunxit. Incredibile videtur per hæc verba, *In unoquoque veraciter pœnitente*, S. Gregorium ſignificare noluiſſe omnes generaliter a peccatis ſuis reſipiſcentes homines; ſed quoſdam tantum legibus pœnitentiæ publicæ obnoxios peccatores. Præterea quis non intelligat, confeſſionem de qua loquitur, non eſſe ſimplicem delicti recognitionem, aut intimum de eo doloris ſenſum; ſed oralem enunciationem, qualis in Eccleſia catholica quotidie fieri ſolet, ex his verbis, *confeſſio oris, quod loquendo ejiciunt?* Ergo ex his concludendum eſt, tempore S. Gregorii Papæ legem confeſſionis non ſecus ac reſipiſcentiæ & doloris de peccatis mortalibus occultis omnibus impoſitam & ſancitam fuiſſe.

Doctiſſimus Antonius Arnaldus, Doctor & Socius noſter Sorbonicus, hanc veritatem confeſſionis apud Sacerdotes faciendæ de peccatis lethalibus occultis mirifice confirmat verbis ejuſdem S. Gregorii aſſumptis ex cap. 5. lib. III. Commentarii in lib. I. Regum cap. 7. *Quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tunc demum idonea eſt, cum*

Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis.

Hanc aſceſim confeſſionis auricularis valde communem & uſu receptam fuiſſe in Oriente, ea ætate S. Gregorii intelligimus ex libro Pœnitentiali Joannis Jejunatoris, Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem publici juris fecit R. P. Morinus, Oratorii Domini JESU Preſbyter, in fine Hiſtoriæ Sacramenti Pœnitentiæ. Nemini enim dubium ſubolere poteſt ex lectione hujus Pœnitentialis, quin omnia omnis generis peccata occulta in aurem Sacerdotis ad obtinendam veniam ſigillatim & particulatim enunciarentur. Idem etiam abundanter conſtat ex Canonario Joannis Monachi, ab eodem Patre publicato, Autoris (ut valde probabile eſt) ſynchroni, & ex Sermone de ſacra Synaxi, Anaſtaſii Sinaitæ, Epiſcopi Antiocheni, qui obiit XXI. Aprilis anno Chriſti DXCIX. quem primus edidit e Græco in Latinum ex codice MS. Bibliothecæ Ducis Bavariæ, Henricus Caniſius, in quo pro confeſſione auriculari non verba, ſed tonitrua & fulgetra cerebrum Calvinianum findunt. *Nec ſatis eſt*, inquit, *in Dei Eccleſiam ingredi, Divinaſque ſanctarum imaginum figuras, venerandaſque cruces*

Digitized by Google

honorare & oſculari; neque vero manus aqua abluere, id purgatio eſt. Sed fuga & ablutio ſordium peccati, inque confeſſione & lacrymis, animoque humiliato, ac ſupercilio detracto peccatorum abſtergere maculas, ſicque ad intemerata myſteria accedere. Et infra: *Confitere Chriſto* PER SACERDOTES PECCATA TUA. *Condemna actiones tuas, & ne erubeſcas: eſt enim confuſio adducens peccatum; & eſt confuſio gloria & gratia. Condemna te* IN CONSPECTU HOMINUM, *ut coram Angelis totoque mundo Iudex te juſtificet.*

CAPUT XXIII.

Explicantur ſententiæ Venerabilis Bedæ, S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi, & Nicephori Chartophylacis.

NIHIL eſt in antiquis Scriptorum Eccleſiaſticorum Lucubrationibus tam ſanctum, aut Eccleſiæ catholicæ propitium, quod inſanis & pravis hæreticorum & opinioſorum hominum interpretationibus fœdari non poſſit: ſi ſenſus a Dallæo verbis Venerabilis Bedæ inductus accipiatur. Objectionem aſſumpſerat Cardinalis Bellarmi-

Digitized by Google

nus * ex Expoſitione Bedæ in caput v. Epiſtolæ S. Jacobi, pag. 959. juxta editionem Baſileenſem, in qua explicans hæc verba: *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*; ſic ait: *In hac autem ſententia illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari. Porro gravioris lepræ immunditiam, juxta Legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter & quantò tempore juſſerit, purificari curemus.*

I. Duplex genus confeſſionis ex his verbis apertiſſime intelligitur; peccatorum ſcilicet venialium, quæ alterutrum confiteri debemus, & quorum veniam Orationis Dominicæ ſupplicio nobis procuramus: & lethalium, quæ ſunt lepra animæ noſtræ, quam Sacerdoti detegere neceſſe eſt, & diuturnæ ad ejus arbitrium impoſitæ pœnitentiæ laboribus expiare. At vero contendit Dallæus, *per gravioris lepræ immunditiam* Bedam neutiquam ſignificare omne genus peccati mortalis. *Nego a Beda*, inquit cap. 23. libri III. de Confeſſione, pag. 279. *eo nomine ſignificari omnia illa peccata, quæ hodie apud ſuos Sacerdotes neceſſario confitenda eſſe ſtatuunt ad-*

* *Lib. III. de Pœnitent. cap. 10.*

Digitized by Google

verſarii : negat mecum Arnaldus Sorbonæ Doctor. Quod ſpectat doctiſſimum Arnaldum, ſupervacaneum eſt ei adſcribere opinionem conſtituentem peccata lethalia lege confeſſionis apud Sacerdotes faciendæ immunia, aut ſibi fingere, ipſum exiſtimaſſe in eam iviſſe ſententiam Venerabilem Bedam. Nam econtra nihil aliud intelligitur ex conceptis verbis libri de Frequenti Communione, niſi omnia & ſingula peccata mortalia debere interdictione a communione expiari : quippe cum nulla ſint lege confeſſionis ſoluta, ac longioris pœnitentiæ lacrymis non abluenda. Hanc veritatem confirmat teſtimonio Venerabilis Bedæ, parte II. libri de Frequenti Communione, capite 7. pag. 240. editionis Latinæ Pariſiis anno MDCXLVII. *Cum igitur exiſtimare ſit nefas, Eccleſiam, cum maxime ſanctitatis laude effloruit, ſponſi ſui graviſſimam legem, qua Fideles omnes, qui ſe mortiferis peccatis inquinarint, ad miniſtrorum ſuorum tribunal reos ſiſti voluit, tanto tempore infregiſſe : conſequens profecto eſt, ut cum tot ſæculis Sacerdotes non in alios, ſaltem vulgo, quam quos a communione prohibuerant, autoritate ſibi a Chriſto data uſos eſſe videamus, eos omnes a communione prohibuerint, qui mortiferum aliquod facinus admiſiſſent.*

Digitized by Google

II. At vero contendit Dallæus, Venerabilem Bedam per lepram intelligere certa quædam tantummodo lethalia peccata; probatque verbis ex Homilia x. in decem leproſos aſſumptis, ex quibus argumentum conficit adverſus confeſſionem peccatorum apud Sacerdotes, capite 38. libri IV. de Confeſſione; quæ recenſet iterum Venerabilis Beda lib. v. in caput XVII. Evangelii ſecundum Lucam, cap. 69. pag. 421. ad hæc verba: *Quos ut vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Nullum Dominus eorum, quibus hæc corporalia beneficia præſtitit, invenitur miſiſſe ad Sacerdotes, niſi leproſos; quia videlicet Sacerdotium Iudæorum figura erat futuri Sacerdotii regalis, quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi & veri Principis Sacerdotum. Et quiſquis vel hæretica pravitate, vel ſuperſtitione gentili, vel Iudaica perfidia, vel etiam ſchiſmate fraterno, quaſi vario colore per Domini gratiam caruerit, neceſſe eſt ad Eccleſiam veniat, coloremque fidei verum quem acceperit oſtendat. Cætera vero vitia, tamquam valetudines, & quaſi membrorum animæ atque ſenſuum, per ſemetipſum interius in conſcientia & intellectu Dominus ſanat & corrigit.* Sed ejuſmodi argumentum diluere non difficile

Digitized by Google

eſt. Enimvero licet Beda eo loci per lepram crimina hæreſis, idololatriæ, Judaiſmi ac ſchiſmatis ſignificare velit; non ait, alia peccata lethalia, quibus poſt lapſum primi parentis inquinatus eſt homo, hac ſignificatione non comprehendi. Immo vero ſibi ſatis eſſe ducit, ſi modo non abſurde iſtiuſmodi lepra ad eos qui pravæ doctrinæ fœtore inquinantur, transferri poſſit, initio capitis 69. hujuſce Commentarii. *Et factum eſt, &c. Occurrerunt ei decem viri leproſi. Leproſi non abſurde intelligi poſſunt, qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris, &c.* Alibi enim paſſim per lepram omnia generaliter peccata mortalia, quibus homo poſt lapſum primi parentis obnoxius factus eſt, ſignificat. Hoc enim potiſſime intelligimus ex Commentario in caput VIII. S. Matthæi, lib. II. pag. 31. quo hæc verba Chriſti ad leproſum de monte deſcendentis explicat: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Myſtice vir iſte peccatis languidum genus humanum deſignat, quod extenta manu Salvatoris, hoc eſt, incarnato Dei Verbo, humanamque contingente naturam, ab erroris priſci varietate mundatum eſt, & Sacerdoti oſtenſum, de quo dicitur, Tu es Sacerdos in æternum.*

Digitized by Google

Niſi enim quis opinioſus homo ſibi perperam perſuadeat, myſterium Incarnationis ſolitaria peccata hæreſis, idololatriæ, Judaiſmi, ac ſchiſmatis, ſpectaſſe: dubitandi locus non relinquitur, Bedam ſignificationem lepræ ad reliqua peccata æquabiliter tranſtuliſſe. Eadem verba repetit lib. 1. cap. 1. in S. Marcum pag. 14. Igitur nemini homini dubium jam ſubolere poteſt, quin Venerabilis Beda per vocem *lepræ*, non ſolum certa quædam peccata lethalia, verum etiam omnia generatim & generaliter intellexerit; adeoque confeſſionis ope expianda & eluenda docuerit.

At vero non diffitemur, trecentis poſt Venerabilem Bedam annis, Guillelmum Goffridi Abbatis Vindocinenſis quondam præceptorem, ea opinione anticipata mentem occupaſſe, ut ſibi perſuaſerit, Bedam exiſtimaſſe præter hæc quatuor peccata, ſcilicet hæreſim, idololatriam, Judaiſmum, & ſchiſma, reliqua lege confeſſionis fuiſſe ſoluta ac libera. Sed ejuſmodi opinionem aperto Marte oppugnavit ac confregit diſcipulus Goffridus Abbas Vindocinenſis, Epiſtola 16. libri V. Epiſtolarum, quas publici juris fecit doctiſſimus Jeſuita Jacobus Sirmondus, anno Chriſti MDCX. Ex ea quippe Epiſtola facili-

Digitized by Google

ter intelligimus, ducentis ante Concilium Lateranenſe annis uſu receptam fuiſſe in Eccleſia catholica confeſſionem auricularem. *Vnde neceſſe eſt*, (inquit Guillelmo Goffridus) *ut quicumque iſtis peccatis, vel uno ex ipſis polluuntur, non jam ſoli Sacerdoti, ſicut in cæteris agitur, ſed univerſæ Eccleſiæ confiteantur: & ſic ad ejus unitatem redeant, cujus fidem antea impugnabant. Iuſtum eſt enim, ut qui alios diabolica præſumptione infidelitatem docent, eos etiam publica ſatisfactione in fide confirment: & quibus ante fuerunt occaſio & exemplum publicæ perditionis, forma & exemplum fiant publicæ reconciliationis. Cætera vero vitia, ſicut dicis, per ſemetipſum Dominus ſanat & corrigit. Licet enim omnia quæcumque ſanantur, Dominus ſanet & corrigat; quædam tamen per ſemetipſum ſanare atque corrigere perhibetur: ea videlicet, quæ ſibi privata in confeſſione revelantur, ut ſanentur. Sibi dico: quia illi, qui in ejus loco eſſe dinoſcitur. Certum eſt, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confeſſione indigere & pœnitentia: & quamvis quædam ex ipſis per publicam pœnitentiam puniri videantur; nulla tamen alia publica confeſſione opus habent, niſi ea quæ communem Eccleſiæ fidem violare conantur.*

Contendit pluſquam poteſt Dallæus lib.

Digitized by Google

iv. de Confeſſione capite 38. Goffridum Vindocinenſem non aſſecutum eſſe ſenſum ſeu mentem Venerabilis Bedæ: quippe cum ſibi perſuaſerit, Bedam *per gravioris lepræ immunditiam* ſignificare voluiſſe omnia generaliter peccata lethalia. Sed ex contrario ſuperius a nobis demonſtrato, luce meridiana clarius conſtat, ipſum Dallæum animo vehementer falli. At vero ipſe viribus mentis aſſequi nequeo, qui poſſit dubitare Dallæus, ætate Venerabilis Bedæ uſu & conſuetudine Eccleſiæ receptam fuiſſe confeſſionem auricularem peccatorum omnium mortalium etiam occultorum, lib. i i i. de Confeſſione capite 23. pagin. 280. & libro iv. capite 38. pagina 534. poſtquam legit ſemel Hiſtoriam Gentis Anglorum, lib. v. cap. 14. Eo enim loci refert Venerabilis Beda, ſe accepiſſe a venerabili Antiſtite Berthelmo, qui in provinciam Merciorum venerat tempore Coenredi, qui poſt Edilredum regnavit; hominem quemdam ordinis militaris infinitis peccatis inquinatum, in mortis diſcrimine verſantem, omni prorſus confeſſione in aurem Sacerdotum ab ipſo Rege piis admonitionibus compellente adductorum repudiata, deſperatum obiiſſe, & æternæ gehennæ impoſita pœna damnatum in inferos corruiſſe. Perperam

enim reſpondet Dallæus, adhortationes Regis ad hunc militem ſpectaſſe pœnitentiam publicam pro gravioribus quibuſdam & manifeſtis peccatis; neutiquam vero confeſſionem in aurem Sacerdotis omnium peccatorum lethalium, etiam occultorum, quæ hodie in Eccleſia Romana uſu & conſuetudine tam frequenter recipitur. Nam falſi ac erroris animo concepti aperte convincere Dallæum non difficile eſt: ex conceptis enim Venerabilis Bedæ verbis intelligimus, hunc militem natantibus in morte oculis, ad extremas vitæ anguſtias adductum, pene jam dilapſo calore corporis, ſpectrum vidiſſe horribilis exercitus diabolorum, ex quibus unus, qui cæteris primatu antecellebat, protulit codicem, in quo ſcripta recenſebantur, ac quodam ratiocinio tradebantur omnia peccata, quæ miles confeſſione expiare recuſaverat, inter quæ plurima ſecreta & occulta, minime vero manifeſta incurrebant, quibus ex veteri diſciplina nullam canonibus antiquis impoſitam fuiſſe pœnam publicam perſpicimus. *Tunc ſubito*, inquit S. Beda, *ſupervenit exercitus malignorum & horrendorum vultu ſpirituum: domumque hanc & exterius obſedit, & intus maxima ex parte reſidens implevit. Tunc ille qui & obſcuritate tenebroſæ*

Digitized by Google

faciei, & primatu ſedis major eſſe videbatur eorum, proferens codicem horrendæ viſionis, & magnitudinis enormis, & ponderis pene importabilis, juſſit uni e ſatellitibus ſuis mihi ad legendum deferri. Quæ cum legiſſem, inveni omnia ſcelera, non ſolum quæ opere, vel verbo, ſed etiam quæ tenuiſſima cogitatione peccavi, manifeſte in eo tetris eſſe deſcripta literis. Quis vero mentis compos homo ſibi perſuadeat, ex his verbis, *opere, vel verbo, ſed etiam tenuiſſima cogitatione*, manifeſta tantummodo peccata vi canonum pœnitentiæ publicæ legibus expianda intelligi? Unicum igitur reſtat Miniſtro ſuperſtitionis Calvinianæ effugium, quo ſcilicet fidem Venerabilis Bedæ ſuſpectam habeat, & ejuſmodi hiſtoriam in falſi ſuſpicione ponat. Sed hominem immerſum aquis ad ejuſmodi rudentem confugere non juvat. Abundanter enim ſufficit, iſtiuſmodi hiſtoriam, ſive veram, ſive falſam, ab ipſo Beda fuiſſe revera ſcriptam. Ego vero exſcripſi ex editione Hiſtoriæ Gentis Anglorum typis Gothicis Argentorati facta anno M D. ſcilicet annis novem ante ortum Calvini, ſeptem & decem antequam ſuo fœtore orbem Chriſtianum contaminaret Lutherus, cum cura collata & ſumma fide congruente cum antiquis Operum Bedæ codicibus MSS.

Digitized by Google

III. Non felicius nec facilius Miniſtro procedit adductum ſuis figmentis parum conducibile S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi, Belgarum Apoſtoli teſtimonium. Hunc igitur poſt Caſſiani ſupra explicati verba, locum profert Dallæus libri IV. de Confeſſione cap. 35. pag. 527. ex Homilia IV. *De eo quod Chriſtus lavit pedes*, &c. quæ occurrit tomo VII. Bibliothecæ Patrum, Coloniæ edit. anno MDCXVIII. pag. 258. *Denique multiplex miſericordia ejus ad expiationem criminum multiplices fructus nobis pœnitentiæ contulit. Non enim tantum ſimplici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur, de quo Apoſtolus Petrus, Pœnitemini igitur, ut deleantur peccata veſtra: & Ioannes Baptiſta, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum: ſed etiam fit abſolutio peccatorum per caritatis affectum, per eleemoſynarum fructum, per profuſionem lacrymarum, per confeſſionem criminum, per cordis & corporis afflictionem, præcipueque per morum emendationem: interdum etiam per ſanctorum interceſſionem, per indulgentiam quoque, ac remiſſionem noſtram, qua peccantibus in nos dimittimus. Quibus omnibus modis aboleri poſſe peccata, Divina teſtis eſt Scriptura. Cum ergo indulgentiæ aditus nobis ſalutares Dei noſtri ineffabilis potentia patefecerit, quis miſer miſe-*

Digitized by Google

ricordiam & ſalutem deſiderans, deſperatione aliqua frangatur, cum ad veniam etiam multiplicibus remediis invitetur?

Sed reſpondere facile eſt, perſpectum non haberi ex contextu hujus Homiliæ, S. Eligium exiſtimaſſe his omnibus modis, poſtpoſita confeſſione, procurari veniam peccatorum. Quippe cum econtra conceptis verbis doceat, homines inquinatos peccatis, quorum mentionem facit S. Paulus capite v. Epiſtolæ ad Galatas, non poſſe a Sacerdotibus reconciliari, prætermiſſa criminum enumeratione ſeu confeſſione. *Qui ergo ex vobis*, inquit, *& his & ſimilibus involuti ſceleribus fuerunt, &* PER CONFESSIONEM *ac pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerunt, ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe a nobis reconciliari poſſe exiſtiment, niſi prius veterem hominem cum actibus ſuis nunc enumeratis expolient.* Inſuper peccatorum confeſſio & enumeratio non potuerunt verbis magis perſpicuis exprimi, nec poteſtas Sacerdotum clarius explicari, quam ex continuo ſermone hujus Homiliæ intelliguntur. *Sed ne imperfectum remaneret quod procuraverat, & quoniam ipſe quidem corporalem pœnitentiam ab eis abſcondebat, quibus ſecundum divinitatem dignatus erat polliceri, Ec-*

Digitized by Google

ce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, *dedit Apoſtolis ſuis, nobiſque eorum ſucceſſoribus poteſtatem ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra : quam poteſtatem ſolvendi vocat Apoſtolus miniſterium reconciliationis. Ideoque quia vices Chriſti agimus, quos ille inviſibiliter abſolvendo dignos ſua reconciliatione judicat, nos viſibiliter reconciliando per officium miniſterii noſtri abſolvimus : eos vero qui funibus peccatorum ſuorum ante Dei conſpectum adhuc tenentur adſtricti, nos quomodo abſolvere poſſumus? Nam quamvis Deus (ſicut dicit Sanctus Leo Papa) ſic ſuæ bonitatis præſidia ordinaverit, ut indulgentia ipſius niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri ; quia mediator Dei & hominum Dominus* JESUS CHRISTUS *hanc Eccleſiæ Præſulibus poteſtatem tradiderit, ut* ET CONFITENTIBUS *ſatisfactionem & pænitentiam darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per medicinam reconciliationis admitterent : huic tamen operi ineffabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit.* Eadem repetit magis conceptis verbis Homilia XI. in qua poſtquam probavit, neceſſe eſſe confiteri peccata, his verbis Salomonis : *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur :*

rigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur: atque infinitis vicibus neceſſitatem confeſſionis iteravit, ſic fatur: *Nec peccator poterit jam excuſari, qui confeſſionem per quam venia naſcitur, non properavit amplecti, ne poſſet reus gemino crimine detineri, dum primo legem contempſit, ut delinqueret, & confeſſionis remedia amplecti noluit, ut periret. Ergo quiſquis peccator ea remedia neglexiſti poſt peccatum, & qui peccando Divina contempſiſti præcepta, confeſſio afferat ſalutem, cui contemptus accelerat mortem. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt.* Hæc vero adeo clara & aperta ſunt, ut novis commentariorum acceſſionibus cumulare ſupervacaneum videatur. Igitur ad Nicephorum Chartophylacem jam noſtra convertatur oratio.

IV. Tria tantum ſuperſunt hujuſce Autoris Græci, qui poſt ſeptimum ſæculum floruit, fragmenta; quorum verſio Latina habetur tomo VII. Bibliothecæ Patrum edit. Colonienſ. anno MDCXVIII. pagg. 429. & 430. ex quorum poſtremo confeſſioni auriculari valde conducibile teſtimonium aſſumitur hiſce verbis conceptum: *Ligandi ſol-*

Digitized by Google

vendique provincia Pontificibus ipſis a clementiſſimo Deo noſtro demandata eſt. Siquidem ad Petrum ait: Quæcumque ligaveris, ligata; & quæcumque ſolveris, ſoluta erunt. Vnde olim omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit, ut hæc minus obſerventur: quamvis exiſtimem, Pontifices negotii tædio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad Monachos tranſmiſiſſe: ad eos ſcilicet, qui vere probati ſint, aliiſque valeant eſſe utiles; nihil enim tale inexpertis & indoctis permiſerunt.

Contendit Dallæus cap. 26. lib. III. de Confeſſione, ex his verbis non intelligi omnes Fideles fuiſſe lege confeſſionis auricularis adſtrictos, ſed eos ſolum, quibus pœnitentia publica præſcripta fuerat. *Ergo*, inquit, *neque Nicephorus alios Chriſtianos, quam quibus publica illa pœnitentia opus eſt, neceſſario vel olim Epiſcopos adiiſſe, vel nunc etiam Monachos adire debere cenſet.* Sed cum invictiſſime probaverimus ſupra cap. II. & III. hujuſce Libri, olim gravia peccata occulta ſpecie quadam pœnitentiæ publicæ & lacrymis fuiſſe proluta: etiamſi Nicephorus eo loci pœnitentes publicos tantummodo ſpe-

Digitized by Google

ctaret, non conſequeretur, omnes Fideles non fuiſſe lege confeſſionis auricularis adſtrictos, ſed eos ſolum qui gravioribus & manifeſtis criminibus inquinabantur. Hoc enim effugium penitus intercludit Nicephorus Chartophylax, dum conceptis verbis ſic fatur: *Olim* OMNES *oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaque illis* OCCULTA *prodere*. Quis enim ex his præſcriptam omnibus peccatorum occultorum confeſſionem perſpectam non habeat? At vero cum dubitandi locus non relinquatur, quin eandem ſpectet confeſſionis ſpeciem, ſua ætate ad Monachos tranſmiſſam: neceſſario conſequitur, omnes Fideles occulta ſua peccata in aures Monachorum prodidiſſe, qui quidem ex uſu & conſuetudine eo tempore recepta, uti ex Capitularibus Caroli Magni, & ex variis Rabani locis intelligimus, pœnas publicas pro publicis peccatis, occultas vero pro occultis imponebant; adeoque ſartam tectamque antiquis & recentioribus canonibus diſciplinam inſtitutam ſervabant. Enimvero neutiquam abnuo opinioni Dallæi, qui hunc Autorem poſt ſeptimum ſæculum collocat; cum præſertim in ſecundo quod ſupereſt, Operum ejus fragmento ſeptem priora Concilia generalia citentur, quorum ultimum

Digitized by Google

conſtat anno Chriſti DCCLXXXVII. fuiſſe celebratum.

Eo circiter tempore floruit Egbertus Eboracenſis Epiſcopus, ab anno ſcilicet DCCXXXI. ad DCCXLI. ex cujus Pœnitentiali excerptum publicavit R. P. Morinus, ex quo ſigillatim confeſſionis auricularis partes & conditiones faciliter intelliguntur, quas hic exſcribere non opus eſt. Sed prætermittere nefas eſt ejuſdem ſæculi Regulam Canonicorum, quam regnante Pipino Canonicis Metenſibus præſcripſit Chrodogangus Epiſcopus, & publici juris fecit R. P. Dominus Lucas Dacherius, Congregationis S. Mauri doctiſſ. Monachus, tom. 1. Spicilegii capite 32. ſub hoc titulo: *Ordo ad pœnitentiam accipiendam & confeſſionem faciendam.*

Hæc eſt ratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ ſunt. Id eſt, in unoquoque anno tribus vicibus, id eſt, in tribus quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat; & qui plus fecerit, melius facit.

Quis dubitet ibi præſcriptam populo Chriſtiano peccatorum confeſſionem in unius aurem proprii Sacerdotis, temporibus Pipini Regis, qui ab anno DCCLI. ad DCCLXVIII. regnavit; hoc eſt, quadringentis & amplius annis

Digitized by Google

ante Concilium Lateranenſe, quo natam eſſe confeſſionem auricularem ſomniat Dallæus? At vero ex continuis ejuſdem capitis verbis, hac confeſſione contineri debuiſſe omnia peccata lethalia, etiam occultiora, quis non intelligat? *Poſtea*, inquit, *require diligenter* (a pœnitente ſcilicet) *ſi ſunt ſecum opera mala, quæ ſeparant hominem, ut ait Apoſtolus, a regno Dei, & hæc ſunt, mala cogitatio, malus ſermo & otioſus, odium, invidia, detractio, maledictio, convitium, turpiloquium, ſcurrilitas, diſſimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, deſidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum dominicorum & ſanctarum ſolemnitatum, ignorantia, negligentia, vana gloria, iracundia, avaritia, falſa teſtificatio, ſomnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comeſſatio, fornicatio, adulterium, ſacrilegium, ſuperbia, perjurium, furtum, homicidium, & his ſimilia. Et poſtquam confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pœnitentiam: & ſi non vult, non des ei pœnitentiam, quia non potes. Et ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere: Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi pœnitentiam canonice menſuratam. Et poſt ea effunde ſuper*

Digitized by Google

eum orationes & preces. Cavendum eſt utique, ne hi qui in gravibus peccatis incidunt, & hi qui in levioribus quibuſdam delinquunt, æqualiter judicentur, ſed ſecundum morbum adhibenda eſt medicina. Mirum profecto videbitur omnibus Doctis, hanc Regulam cognitiſſimam fuiſſe Dallæo, & typis publicis impreſſam anno Chriſti MDCLV. ſex annis ante publicationem ſui Operis de Confeſſione auriculari, & eam alto ſilentio prætermiſiſſe: cum præſertim anno MDCLI. in fine Hiſtoriæ Pœnitentiæ, R. P. Morinus excerptum hujus capitis de confeſſione publicaverit.

Eodem fere tempore, ſeu paulo ante, Reges Galliæ Viros pietate ac ſcientia illuſtres a confeſſionibus & conſiliis habebant. Hoc intelligimus ex Vita S. Anſberti Rothomagenſis Epiſcopi, ſucceſſoris S. Audoeni, quæ habetur Sæculo II. Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ publici juris fecerunt illuſtres Congregationis S. Mauri Monachi, Lucas Dacherius, & Joannes Mabillonius, pag. 1054. in qua hæc leguntur: *Poſt cujus*, ſcilicet S. Audoeni, *ſacrum tranſitum, ne Eccleſia de paſtore amiſſo jacturam pateretur, cuncti Rothomagenſis urbis cives, miſſa petitione ad Theodericum glorioſum Regem, cum ejus permiſſu & autoritate, B. Anſbertum ſibi elegerunt*

Digitized by Google

conſecrari Antiſtitem. Et infra anno DCLXXXIV. ut obſervat Mabillonius : *Morabatur enim præfatus Rex in villa Clypiaco , quæ ſita eſt in Pariſiaco territorio , ubi conventum magnum populorum habens , de utilitate ac tutela Regni tractabat , ut ad ejus conſultum , veluti agere conſueverat , (nam Confeſſor illius erat) de Regni negotiis tractaret.*

CAPUT XXIV.

Alcuinus Diaconus & Abbas , Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis , Paſchaſius Radbertus Corbeienſis Abbas , Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus , explicantur.

I. ALCUINUS Abbas perilluſtris , qui vulgo apud Eruditos præceptor Caroli Magni audit , quoniam Imperator anno Chriſti DCCXCIII. eum ex Anglia exciverat, ut ab eo ſacras literas addiſceret ; tam conceptis verbis neceſſitatem confeſſionis in aurem Sacerdotum faciendæ teſtificatur , ut ea commentarii amplificatione luſtrare non neceſſe ſit. Quippe ſic loquitur Epiſtola XXVI. *Quid ſolvit ſacerdotalis poteſtas , ſi vincula non conſiderat ligati ? Ceſſabunt opera medicorum,*

Digitized by Google

ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant: quanto magis vulnera animæ ſpiritalis medici ſolatia depoſcunt? Et infra: *Quatenus orationibus illius, noſtræ confeſſionis oblatio Deo acceptabilis fiat, & remiſſionem ab eo accipiamus.* Et inferius: *Nonne in ſacro Baptiſmate Sacerdotibus Chriſti noſtræ fidei confeſſionem, & abrenunciationem Satanæ dare debemus: & ſic ſacerdotali miniſterio, Divina operante gratia, ab omnibus ablui peccatis? Cur etiam & in ſecundo pœnitentiæ baptiſmate, per confeſſionem humilitatis noſtræ, ab omnibus poſt primum Baptiſma peractis, eadem Divina miſerante gratia, ſacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolvi peccatis?*

II. Theodulphus, Epiſcopus Aurelianenſis, Alcuino æqualis, de quo perhonorificam mentionem facit Epiſtola IV. ad Carolum Regem, cum ab eo librum Felicis Urgellitani refutandum accepiſſet, confeſſioni auriculari non minus patrocinatur capite XXXI. Capitularis, quod ſuæ diœceſis Sacerdotibus tradidit, ac publici juris fecit R. P. Jacobus Sirmondus, tantum hominum Jeſuitarum optimus, quantum literatorum virorum ſinceriſſimus, anno Chriſti MDCXLVI. *Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſive in opere, ſive in cogitatione perpetran-*

Digitized by Google

tur. His enim omnia peccata, omni diſcrimine remoto, confeſſionis lege tenentur: continuo vero ſermone, qui poſſit ejuſmodi legi obtemperari docetur. *Octo ſunt principalia vitia, ſine quibus vix ullus inveniri poteſt. Eſt enim gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluvies; ſecundo fornicatio; tertio acedia, ſive triſtitia; quarto avaritia; quinto vana gloria; ſexto invidia; ſeptimo ira; octavo ſuperbia. Quando ergo quis ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occaſione peccatum perpetraverit, quod peregiſſe ſe confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei perſuaderi, ut & de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet ei etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat ſuam confeſſionem, & nominatim debet ei Sacerdos unumquodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere*. Porro ex his intelligere facile eſt, quam ſupervacanea ſit ratiocinatio Dallæi lib. IV. de Confeſſione capite 35. pag. 528. qui ex eo quod confeſſionem recenſeat Theodulphus inter modos procurandæ veniæ peccatis, cum baptiſmate, martyrio, eleemoſyna, & aliis, ſibi finxit, hos omnes modos ſeparatim ſumptos abundanter ſufficere; adeoque concludit, in libero hominis arbitrio poſitum eſſe uti, vel non

uti confeſſione, eaque prætermiſſa, poſſe ſalutem æternam conſequi. Quaſi vero ex eo quod fides, ſpes, baptiſmus, caritas, verbi Divini prædicatio, eleemoſyna, modi ſint procurandæ ſalutis, ad normam directa ratiocinatione colligatur, poſſe ſolitaria ſpe, aut fide prætermiſſa caritate comparari.

III. Paſchaſius Radbertus, Abbas Corbeienſis, qui obiit XXVI. Aprilis anno Chriſti DCCCLI. confeſſionis auricularis inſtitutis non minus propitius eſt, Commentario in Evangelium S. Matthæi, cap. XVI. pag. 676. hæc verba explanans: *Et quodcumque ligaveris ſuper terram*, &c. *Nam*, inquit, *& in Levitico de leproſis, ubi jubetur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote jubetur ut immundi fiant; non quod Sacerdos leproſos mundos faciat aut immundos, ſed quod habeat notitiam leproſi & non leproſi, & poſſit diſcernere qui mundi ſint, quive immundi. Quo modo ergo ibi Sacerdos mundum facit aut immundum, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus vel Presbyter, non eos qui noxii ſunt, vel innoxii, ſuo arbitrio, ſed Pontificalis officio cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandi ſint, quive ſolvendi.*

IV. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, qui quidem expletis Pontificatus XXXVII.

annis obiit anno DCCCLXXXII. confeſſionem auricularem apertis verbis confirmaverat tractatu de Divortio Regis Lotharii & Reginæ Tetbergæ, quem habemus in Bibliotheca Patrum. Sed nullis acceſſionibus poteſt cumulari quod ait Opuſculo XL. ad Hildeboldum Epiſcopum Sueſſionenſem, quod publici juris fecit R. P. Sirmondus anno MDCXLV. ex antiquo codice MS. Abbatiæ S. Remigii, tomo II. Operum Hincmari pag. 687. *Velut ex ſuperfluo denique, quoniam hæc te egiſſe non dubito, bonam devotionem tuam commoneo, ut præter iſtam generalem confeſſionem, quæque ab ineunte ætate, uſque ad hanc in qua nunc degis, te commiſiſſe cognoſcis, ſpecialiter ac ſingillatim Deo & Sacerdoti ſatagas confiteri. Et dum unumquodque erroris tui inquinamentum ſingillatim confiteris & defles, ſimul te de omnibus actorum lacrymis mundes.*

CAPUT XXV.

Explicantur Concilium Turonenſe III. celebratum anno Chriſti DCCCXIII. *Pontificatus Leonis III. anno* XVIII. *imperii Caroli Magni* XIII. *regni* XLV. *& Cabilonenſe II. eodem anno.*

I. CUM ex multitudine librorum Pœnitentialium, qui intemperanti multorum labore tunc temporis exſurgebant, magnum diſciplinæ ac ſeveritati canonum in adminiſtratione pœnitentiæ intertrimentum adferretur; e re ſua eſſe arbitrati ſunt Epiſcopi ſævienti malo remedium adhibere: adeoque cum Abbatibus & venerabili Clero Turonis congregati canonem XXII. ſanxerunt, ex quo argumentum invictiſſimum aſſumimus ad comprobandum, tempore hujuſce Concilii receptam uſu fuiſſe conſuetudinem confitendi peccata in aures Sacerdotum. Lege tomo II. Conciliorum Galliæ R. P. Sirmondi pag. 299. *Epiſcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant, ut juxta modum peccati*

Digitized by Google

pænitentibus abſtinentia indicatur : quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus & indiſcrete hæc judicia proferuntur. Ideo neceſſarium videbatur nobis, cum omnes Epiſcopi ad ſacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber Pænitentialis potiſſimum ſit ſequendus. Sed cum animadverterit Dallæus, ex his verbis, *Epiſcopis & Presbyteris*, ac, *ſua ſibi delicta confitentibus*, non poſſe non intelligi confeſſionem, ac poteſtatem quam habent Sacerdotes ferendi de peccatis judicii, *a quibus indiſcrete hæc judicia proferuntur;* poſtquam fateri non renuit, ea ætate confeſſionem privatam multo quam antea frequentius fuiſſe uſu receptam, lib. III. de Confeſſ. cap. 24. pag. 282. *Et ipſam etiam* (confeſſionem) *multo quam antea frequentius, privatam in uſu tum fuiſſe appareat :* obfirmato pectore pernegat, ex hoc canone conſequi omnes Fideles lege confeſſionis omnium peccatorum apud Sacerdotes fuiſſe adſtrictos. *Omnes vero Fideles*, inquit continuo ſermone, *Sacerdoti peccata ſua coactos fuiſſe confiteri ita neceſſario, ut nemini delictum ullum, niſi apud hominem confeſſo, dimitti a Domino putaretur ; nego hinc ſequi, nego ex ullo illius ſæculi monumento certo colligi ac demonſtrari poſſe.* Sed oculorum aciem Miniſtri per-

Digitized by Google

ſtrinxiſſe videtur ipſa veritas. Nam his vocibus indefinitis, *hominibus ſua ſibi delicta confitentibus*, nolle Patres Turonenſes intellexiſſe omnes Fideles, idem eſt ac ſi quis ſibi perſuaderet, his vocibus, *Epiſcopis & Preſbyteris*, non ſignificaſſe omnes Preſbyteros & Epiſcopos : quod abſurdum & ſupervacaneum eſt. Quod vero ſpectat peccata, certum eſt Concilium ad ea reſpicere, quibus in libris Pœnitentialibus leviores pœnitentiæ impoſitæ fuerant, adeoque his codicibus continebantur. At vero ex iis quos integros publici juris fecit, aut quorum excerpta publicavit R. P. Morinus in fine Hiſtoriæ Pœnitentiæ publicæ, intelligimus, non quædam tantum atrociora & manifeſta crimina, ſed omnia lethalia fuiſſe confeſſioni obnoxia.

II. Quamobrem Concilium Cabilonenſe II. eodem anno, ſcilicet DCCCXIII. celebratum, quo quidem libri Pœnitentiales ſuppreſſi ſunt, decernit canone XXXII. plene atque integre peccata in confeſſione explicari, non ſolum corporis, verum etiam ſpiritus, & ea quæ cogitatione perpetrata ſunt, cum fide & cura Sacerdotibus renunciari. *Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus, quod quidam dum confitentur peccata ſua Sa-*

Digitized by Google

cerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo conſtat hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio: ſcilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus geſta ſunt, & ea quibus in ſola cogitatione delinquitur. Inſtruendus eſt itaque peccatorum ſuorum confeſſor, ut de octo principalibus vitiis, ſine quibus in hac vita difficile vivitur, confeſſionem faciat: quia aut cogitatione, aut, quod eſt gravius, opere eorum inſtinctu peccavit. Odium etenim, invidia, ſuperbia, vel cæteræ hujuſmodi animæ peſtes tanto periculoſius lædunt, quanto ſubtilius ſerpunt. Nihil in hujuſce canonis accuratione & exacto ſtudio deſiderari poſſe videtur. Verumtamen Dallæus contendit ex eo neutiquam colligi poſſe neceſſitatem confeſſionis auricularis, libro III. de Confeſſione cap. 24. *A quo adeo longe abfuerunt Cabilonenſes illi Patres, quos Bellarminus pro ſe teſtes adduxit, ut præfati quoſdam dicere Deo ſolummodo confiteri debere peccata, quoſdam vero Sacerdotibus confitenda percenſere; ipſi affirment utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fieri Eccleſiam; & paulo poſt, confeſſionem quæ Deo fit, purgare peccata, Deumque ſalutis & ſanitatis*

Digitized by Google

autorem & largitorem plerumque hanc præbere ſuæ potentiæ inviſibili adminiſtratione. Itaque dum iidem decernunt PLENE CONFITENDUM *eſſe, præſcribunt qua ratione qui confitentur, id facere debeant; omnes & ſingulos confiteri debere non decernunt; quod, ut liquet, recta cum iis pugnat, quæ iidem canone ſequenti fatentur, ac docent confeſſionem ſoli Deo factam purgare peccata.*

III. Tria ſunt in hac reſponſione Dallæi multa cogitatione reputanda. 1. Dum Patres Cabilonenſes canone XXXIII. continuo animadvertunt, quoſdam exiſtimare *Deo ſolummodo confiteri debere peccata;* non ſpectant viros fidei catholicæ ac ſententiæ Eccleſiæ tenaces, ſed econtra adverſarios & rebelles. Quemadmodum S. Gregorius dum ait Homilia XXVI. pag. 330. *Sunt nonnulli qui de reſurrectione carnis incerti ſunt,* non exiſtimavit hanc opinionem eſſe probabilem, aut in Eccleſia catholica dubitationem de reſurrectione eſſe tolerabilem.

2. Dum aiunt iidem Patres, *quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam ſit Eccleſiam,* hoc intelligendum eſt *conjunctim,* non *diviſim:* quod proprie ſignificat hoc pronomen, *utrumque. Quoniam utriuſque ſtudii noſtra poſſeſſio eſt, hodie, utro frui malis, optio ſit*

ſit tua. Cicero de Fato num. III. *Palmas utraſque tetendit*. Virg. VI. Æneid. ℣. 685. Cum econtra ſi *alterutrum* ſignificare voluiſſent, his pronominibus uſi eſſent, *utrumvis*, vel *utrumlibet*. Conſtat enim apud Grammaticos, hoc pronomen, *utervis*, idem ſignificare ac *uter quem tu vis*, præſertim apud Ciceron. l. IX. Epiſt. ad Atticum, Epiſt. I. *Ego unus, cui utrumvis liceret*. Pro Sext. Roſcio Amerino: *Vt utrumvis ſalvo officio ſe facere poſſe arbitrarentur*. Idem in Oratione pro Quinctio: *Vtrumlibet elige. alterum incredibile eſt: alterum nefarium: & ante hoc tempus utrumque inauditum*. Denique nullo exemplo probari poteſt, pronomen, *utrumque*, non ſignificaſſe ſemper copulative & *conjunctim*; quamvis inficias ire nolim, alterum, ſcilicet *utrumvis*, vel *utrumlibet* aliquando acceptum fuiſſe *conjunctim*, & non ſemper *diviſim*, uti videre licet apud Fabium lib. IX. *Nihil refert quomodo appelletur utrumlibet eorum*. Iiſdem modis uſurpatur *utervis*, ut docet Satarnius lib. V. cap. 32. juxta obſervationem Gerardi Joannis Voſſii libro IV. de Arte Grammatica, cap. 9. pag. 211.

3. Inquit Dallæus pag. 282. linea 8. *Omnes & ſingulos confiteri debere, non decernunt Patres Cabilonenſes; quod, ut liquet, recta cum*

iis pugnat, quæ iidem canone ſequenti fatentur, ac docent, CONFESSIONEM SOLI DEO FACTAM PURGARE PECCATA. Adeoque concludendum relinquit, pronomen, *utrumque*, ibi uſurpari *diviſim* ad ſignificandum *utrumvis*, vel *utrumlibet.* Egregiam vero reſponſionem, cui abnuere nemini homini liceret, niſi Dallæus hoc vocabulum SOLI de ſuo intemperanter adjeciſſet! Patres enim Concilii Cabilonenſis ab eo diligenter & magna cum cura abſtinuerunt. *Confeſſio*, inquiunt, *itaque quæ* DEO *fit, purgat peccata: ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata.* Ex his enim abundanter intelligimus, numquam diſſociandam eſſe confeſſionem Deo & homini factam, ſed utramque, hoc eſt, individuo nexu conjunctam, non ſine magno fructu intra ſanctam Eccleſiam fieri.

Porro ea ætate adeo trita & communis erat conſuetudo propitiandi Deum ope confeſſionis peccatorum in aurem Sacerdotum, ut vix celebraretur Concilium, in quo negotium confeſſionis non ventilaretur. Eodem enim anno DCCCXIII. Concilium Remenſe II. conceptis verbis de ratione pœnitentiæ canonem XII. ſic ſanxit: *Omnibus his actis, ventilata eſt ratio pænitentiæ, ut Sacer-*

dotes certius intelligerent, quomodo confeſſiones recipere, & pœnitentiam ſecundum canonicam inſtitutionem pœnitentibus deberent indicare. Fatuum & inutile videretur ejuſmodi verba ad pœnitentiam publicam & canonicam, quæ certis quibuſdam atrocioribus peccatis & manifeſtis imponi ſolebat, transferre: ex Capitularibus enim Caroli Magni lib. v. cap. 116. perſpectum habemus, peccata occulta & publica æquabiliter fuiſſe confeſſioni ſubjecta. *Vt nemo Sacerdotum populi ſibi peccata confitentium ſine autoritate canonum judicare præſumat. Et ut quando unicuique quiſquam Sacerdos ſibi ſcelera ſua confitenti juxta prædictum canonicum modum pœnitentiam tribuit, ſi comam dimiſerit, aut habitum mutaverit, manus ei ſecundum canonicam autoritatem imponat cum orationibus quæ in Sacramentario ad dandam pœnitentiam continentur. Si vero occulte & ſponte confeſſus fuerit, occulte faciat. Et ſi publice ac manifeſte convictus, aut confeſſus fuerit, publice ac manifeſte fiat, & publice coram Eccleſia, juxta canonicos pœniteat gradus. Poſt peractam vero ſecundum canonicam inſtitutionem pœnitentiam occulte vel manifeſte, canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur; ut Divinis precibus &*

Digitized by Google

miſerationibus abſolutus a ſuis facinoribus eſſe mereatur : quoniam ſine manus impoſitione nemo abſolvitur ligatus. Et ideo Dominus & Magiſter noſter Diſcipulis ſuis ac ſucceſſoribus eorum ligandi & ſolvendi dedit poteſtatem, ut peccatores ligandi habeant poteſtatem, & pœnitentiam condigne agentes abſolvi, atque peccata cum Divina invocatione dimitti queant. Nec mirum hoc. Quia ſi homines ſuis ſervis dant poteſtatem de ſubditis ligandi & ſolvendi, vel nocendi & adjuvandi apud ſe, quanto magis Dominus omnium hominum hanc poteſtative poteſtatem præpoſitis ſanctæ Eccleſiæ dedit dicens: Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt? Ex iiſdem Capitularibus expreſſam mentionem intelligimus confeſſionis peccatorum occultorum in aurem Sacerdotum, lib. VI. capite 206. *Quia varia neceſſitate præpedimur canonum ſtatuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare, propterea omnino non dimittatur ut unuſquiſque Presbyter juſſione Epiſcopi de occultis tantum, quia de manifeſtis Epiſcopos ſemper convenit judicare, judicet, & ſtatim poſt acceptam confeſſionis pœnitentiam ſinguli data oratione reconcilientur. Morientibus vero ſine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur.*

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Explicatur Concilium Pariſienſe VI. celebratum anno Chriſti DCCCXXIX.

I. QUAMVIS ætate hujuſce Concilii craſſæ ignorantiæ fœtore inquinatum fuiſſe orbem Chriſtianum ſibi perſuadeat Dallæus lib. IV. de Confeſſ. cap. 40. attamen Patres Pariſienſes non ſolum diſciplinæ ſtudio flagrantiores, verum etiam ſcientia cæteris reliquorum Galliæ Conciliorum Patribus longe antecellere videntur. At vero Canone XXXII. accuratam mentionem faciunt confeſſionis auricularis. *Quoniam multi Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pænitentiæ reatum ſuum confitentibus ſecus quam jura canonica decernant, imponunt, utentes ſcilicet quibuſdam codicillis contra canonicam autoritatem ſcriptis, quos Pænitentiales vocant: & ob id non vulnera peccatorum curant, ſed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas: omnibus nobis ſalubriter in commune viſum eſt, ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua pa-*

Digitized by Google

rochia eoſdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant, &c. Et continuo ſermone: *Presbyteri etiam imperiti ſolerti ſtudio ab Epiſcopis ſuis inſtruendi ſunt, qualiter & confitentium peccata diſcrete inquirere, eiſque congruum modum ſecundum canonicam autoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantia multorum flagitia remanſerunt impunita: & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non eſt.* Defendit Dallæus, hujuſce Concilii Patres ſolam pœnitentiam publicam ad normam direxiſſe certis quibuſdam gravioribus peccatis infligendam; neutiquam vero ex hoc decreto colligi poſſe, omnes Fideles lege confeſſionis peccatorum, etiam occultorum in aurem Sacerdotis teneri. Porro negotium ejuſmodi jam nobis ſolo veritatis ſtudio accenſis atque amore inſtigatis ſincero examine reputare convenit.

II. Antiqui Pœnitentiales codices Romanæ Eccleſiæ, Andegavenſis, & Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis, quos ad finem Hiſtoriæ Sacramenti Pœnitentiæ edidit R. P. Morinus, fidem faciunt, his temporibus omnia peccata occulta & publica indiſcriminatim fuiſſe confeſſione explicata. Cum igitur

Digitized by Google

Concilium Pariſienſe in iis Pœnitentialibus ſolitariam diſciplinæ antiquæ intermiſſionem ſeu relaxationem emendare ſatagat, incredibile eſt, certa quædam tantum peccata manifeſta & atrociora confeſſione expianda reliquiſſe.

III. Præterea futile ac ſupervacaneum eſt huic Concilio decernere, *ut Presbyteri etiam imperiti ab Epiſcopis inſtruendi ſint, qualiter & confitentium peccata diſcrete inquirere noverint.* Quantula enim ſolertia ac prudentia opus eſt ad inveſtiganda & diſcrete inquirenda peccata publica & manifeſta?

IV. Si confeſſio peccatorum ab eo Concilio præſcripta, non neceſſaria eſt ad procurandam peccatorum veniam, ſed in libero hominis ea utentis arbitrio poſita eſt; quid tantula opus eſt Sacerdotibus confeſſiones excipientibus ſcientia? & cur Concilium ignorantiam eorum carpit, & ait, *hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non eſt?* Quid enim neceſſe eſt artem ſcire quam non neceſſe eſt profiteri?

V. Denique ſi hujus ætate Concilii non erat uſu recepta conſuetudo confitendi peccata apud Sacerdotes, & ſi nulla eſſet ejuſmodi impoſita Fidelibus omnibus neceſſitas; cur tanto cum ſtudio & curatione vetat, ne

Digitized by Google

Clerici vel laici ſua peccata Monachis confiteantur? Uti intelligimus ex Canone XLVI. *Nec etiam illud videtur nobis congruum, ut Clerici & laici Epiſcoporum & Presbyterorum canonicorum judicia declinantes, Monaſteria Monachorum expetant, ut ibi Monachis Sacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum faciant: præſertim cum eiſdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non ſit, exceptis his dumtaxat, qui ſub monaſtico ordine ſecum in Monaſteriis degunt, &c.* Cur tanta cautione providet confeſſionibus Monialium, niſi clam & ſecreto fieri ſolebant? *Porro ſi Sacerdotibus Sanctimoniales peccata ſua confiteri voluerint, id non niſi in Eccleſia coram ſancto altari, adſtantibus haud procul teſtibus faciant.* Igitur pleniſſime planiſſimeque conſtat, tempore Concilii Pariſienſis VI. ſcilicet anno undetrigeſimo noni ſæculi, confeſſionem omnium peccatorum apud Sacerdotes exiſtimatam ac reputatam fuiſſe omnibus Fidelibus poſt Baptiſmum lapſis ad veniam & remiſſionem obtinendam abſolute neceſſariam.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Explicatur locus Theodori Studitæ, aſſumptumque ex eo a Bellarmino argumentum vendicatur confeſſioni auriculari propitium.

THeodorus uſque ad initia IX. ſæculi vitam produxit: obiit enim Calendis Novembris ætatis LXVII. anno Chriſti DCCCXXVI. Reverendo doctiſſimoque Patri Ordinis S. Dominici, Franciſco Combefis acceptam referre debemus Epiſtolam cyclicam Naucratii Confeſſoris, ad perſecutionem propter Dominum ſuſtinentes fratres patreſque, de obitu Theodori Studitæ, ex qua integram martyrii ejus hiſtoriam mirifice deſcriptam intelligimus. Tomo II. Auctuarii Græco-Latini Bibliothecæ veterum Patrum.

Cardinalis vero Bellarminus lib. III. de Pœnitentia capite 10. locum in rem confeſſionis auricularis citat ex Vita S. Platonis, quam Theodorus ſcripſit, relata tomo VI. de Vitis Sanctorum, ad XVI. Decembris, pag. 270. quas collegit Laurentius Surius Cartuſianus Coloniæ anno MDCXVIII. Καὶ

Digitized by Google

γὰρ ἦν ἀναγνώσεσι προσέχων ἀντὶ παιγνίων. ἔν τε ἐκκλησίαις προσεδρεύων ἀντὶ θεάτρων. καὶ ἐν σεμνείοις ἀναστρεφόμενος ἀντὶ ἀσέμνων καταγωγίων. καί γε τὸ ἄγαν ἐπαινετώτερον, ἐξαγορεύσεις ποιούμενος τῶν κρυφίων τοῦ νοὸς κινημάτων καὶ δραμάτων τινὶ τῶν καθηγουμένων. ὃ τῆς μὲν ἐκείνου φιλοθείας ὑπῆρχε σύμβολον. τοῦ δὲ τὴν ἐξαγόρευσιν δεχομένου κατέπληττε τὴν διάνοιαν τελεωτικῶς γινόμενον. *Etenim pro ludo* (Plato ſcilicet) *Divinas lectiones, quibus attentus erat : pro theatris & ſpectaculis, Eccleſias frequentabat : pro inhoneſtis diverſoriis honeſta collegia : quodque laudabilius eſt, occultas mentis cogitationes & acta cuidam eorum qui præerant, confitebatur; quæ res magnum religionis illius erat indicium : idque cum perfecte facere ſolitus eſſet, ei qui confeſſionem ipſius audiebat, admirationem ac ſtuporem adferebat.*

Reſpondet Dallæus lib. III. de Confeſſione capite 23. pag. 280. ex hoc nihil aſſumi poſſe in rem confeſſionis auricularis peccatorum : quippe cum *acta*, non *peccata* confeſſione explicari dicantur ; cum præſertim etiam Theodorus Studites obſervet & commendet eo loci non uſum communem Chriſtianorum, ſed exercitationem peculiarem, ſeu aſceſim Monachorum, qua ſe S. Plato aſſuefaciebat vitam monaſticam medi-

tans, cui mox relicto ſæculo ſe totum addicturus erat, ut narrat ſequenti capite Theodorus.

Sed 1. reſpondere facile eſt, *acta* ibi ſignificare *peccata*; δράματα enim in malam partem pro *facinoribus* uſurpari ſolent apud Scriptores eccleſiaſticos. δρᾶμα τῆς ἀσεβείας, *actus impietatis*, apud Gregorium Nazianzenum, de Juliano, ut obſervat Budæus, & apud Theodoretum in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Quæ Theodorus Studites hic appellat δράματα, *acta*, ſive *peccata*, Sozomenus lib. VII. Hiſtoriæ capite 16. vocat τὰ βεβιωμένα, ſive *acta vitæ*, quæ quidem erant peccata quæ confeſſione explicabantur in aurem Sacerdotum, uti ſupra probavimus capite x. numero 11. *Ad quem*, ſcilicet Preſbyterum, *accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur*. ᾧ δὴ προσιόντες οἱ ἡμαρτηκότες, τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν. 2. Sic per *actus peccata* intelliguntur, Actorum cap. XIX. ℣. 18. *Multique credentium veniebant, confitentes & annunciantes actus ſuus*, ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν; annuentibus Eraſmo, & Grotio. 3. Cum conſilium Theodori ſit laudibus extollere vitam quam duxerat S. Plato, antequam Monachum indueret, non eſt credibile ibi ſpectare voluiſſe aſceſim monaſti-

cam : alias enim omnia bona opera quibus S. Plato commendatione dignus evaſit, erunt in vitam monaſticam transferenda : quod inſanum & abſurdum eſt : v. g. ſi laudamus eo quod ſpectacula vitaverit, aut bonorum virorum familiaritate uſus ſit, his omnibus non teneri Chriſtianos reſpondebit Miniſter Calviniſta, ſed ſolum Monachos. 4. Unde accepit Dallæus, S. Platonem, dum Preſbyteris ſua peccata confitebatur, cepiſſe conſilium ducendæ vitæ monaſticæ ? Præterea cum eſſent in ſæculo Preſbyteri, qui confeſſiones ejus audirent, argumentum certiſſimum eſſe videtur conſuetudinis confitendi peccata extra ſepta Monaſteriorum. Fatua enim & imbecilla conjectura eſſet ſibi perſuadere, S. Platonem peccata ſua explicuiſſe cuidam Præfecto Monaſterii. Nam qui præerant olim erant Preſbyteri. * *Qui bene præſunt Presbyteri.* Inſuper refertur in ejuſdem Vita, longum ac diuturnum iter ſuſcepiſſe S. Platonem, ac patriam reliquiſſe, ut Monaſterium inveniret : quod invictiſſime demonſtrat, non potuiſſe Præfecto Monaſterii, quandiu in ſæculo permanſit ſedibus in patriis, tam frequenter ſua peccata confiteri. Nollem tamen negare, olim æque ac ho-

* 1. *Tim. cap.* v. ỳ. 17.

die aſceſim confitendi peccata communiorem fuiſſe in Monaſteriis quam in ſæculo. Sed ex ea agendi ratione neutiquam conſequitur, confeſſionem eſſe ſimplicem aſceſim monaſticam. Æquabili enim ratiocinatione ipſa pœnitentia, contritio, fides, caritas, & reliquæ virtutes Chriſtianæ, quibus homines qui vitam in Monaſteriis degunt, frequentius exornantur, ad ejuſmodi Monachorum exercitationes relegabuntur. Verbi gratia, idem Theodorus Studites Homilia xxxvi. ad Monachos ait: *Socors labiliſque natura eſt, dicet quiſpiam: fateor equidem quoque, uti in eandem ſim conſcriptus. Sed quoties id accidet, toties expeditor confeſſio, pœnitudo, contritio cordis, ad frugem reditio, in antiquum ſtatum revertendi celeritas.* At vero ſi confeſſionem, aſceſim monaſticam appellare licet; quid vetat pœnitudinem, contritionem cordis, ad frugem reditionem, & in antiquum ſtatum revertendi celeritatem? Idem fere habet Homilia cxxii. *Ergo utamur confeſſione frequenti, poſtquam frenum non peccandi confeſſio eſt. Vtamur ſubmiſſione qua ignea maligni tela frangimus. Vtamur fide, ſine qua Deo placere nefas.* Igitur concludendum eſt, revera in Monaſteriis tractatam atque excultam fuiſſe peccatorum confeſſionem; ſed hoc non im-

pediviſſe quominus reliqui Fideles in ea verſati & exercitati fuerint.

CAPUT XXVIII.

Intercluduntur effugia quæ ſibi Dallæus propitia exiſtimavit apud Rabanum Archiepiſcopum Moguntinum. Explicantur Concilia Moguntinum anni DCCCXLVII. *&* W*ormatienſe anni* DCCCLXVIII.

I. VIXIT Rabanus nono rerum Chriſtianarum ſæculo, & conceptis verbis ac dilucidis de confeſſione privata peccatorum ſecretorum mentionem fecit lib. II. *de Inſtitutione Clericorum*, cap. XXX. pag. 92. edit. Colon. apud Joannem Prael anno MDXXXII. *Quorum ergo*, inquit, *peccata occulta ſunt, & ſpontanea confeſſione ſoli tantummodo Presbytero ſive Epiſcopo ab eis fuerint revelata, horum occulta debet eſſe pœnitentia ſecundum judicium Presbyteri ſive Epiſcopi cui confeſſi ſunt: ne infirmi in Eccleſia ſcandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant cauſas.*

Dallæus lib. III. de Confeſſione cap. 25. pag. 283. fatetur, Rabanum ibidem privatam quoque memorare pœnitentiam apud Sacer-

dotes ob occulta crimina agi ſolitam; & tamen continenti ſermone ſic fatur: *Sed hanc Rabani itidem ut Patrum Cabilonenſium pœnitentiam nego eandem fuiſſe cum hodierna adverſariorum confeſſione.* Et deinceps has diſſimilitudines explicat: *Illa (quod diſerte ait Rabanus) ſpontanea erat, hæc neceſſaria eſt. Illa adeo libera erat, & in pœnitentium poteſtate, qui ſi crimine, licet occulto, gravius urgerentur, quam ut ipſi per ſe conſcientiam explicare & componere poſſent, ad Sacerdotem ultro confugiebant; a quo & conſilium & pœnitentiæ modum, & ea impleta, pacem & communionem accipiebant. Aliqua vero lege ad hujuſmodi confeſſionem obſtrictos omnes Rabani temporibus Chriſtianos, qui peccati alicujus occulti rei eſſent, neque Bellarminus, neque alii adverſarii probant.* Hæc autem multa ſunt conſideratione reputanda.

II. Nullus in Eccleſia Romana Theologus defendit, confeſſionem peccatorum non eſſe liberam aut ſpontaneam, licet omnes doceant, eandem vel in re vel in voto, ut loquuntur, eſſe ad ſalutem conſequendam revera neceſſariam, nullumque peccatorem eſſe lege confeſſionis faciendæ ſolutum ſeu liberum: quemadmodum libere ac ſponte ſuſcipitur Baptiſmus ab adultis, licet ſit ne-

ceſſarius : ſimiliter & liberi ac ſpontanei actus fidei, ſpei & caritatis, licet his prætermiſſis ſalutem conſequi non potis ſit ; ipſa religio maxime ad ſalutem neceſſaria, libera eſt. *Nec*, inquit Tertullianus *, *religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi.*

III. Altera diſſimilitudo confeſſionis non magis feliciter procedit Dallæo, qua ſibi perſuadet, ætate Rabani omnes homines occulta peccati macula inquinatos, fuiſſe lege confeſſionis apud Sacerdotes immunes & ſolutos. *Aliqua vero lege ad hujuſmodi confeſſionem obſtrictos omnes Rabani temporibus Chriſtianos, qui peccati alicujus occulti rei eſſent, neque Bellarminus, neque alii adverſarii probant.* Enimvero Rabanus conceptis verbis contrarium aſſerit cap. 29. libri II. *de Inſtitutione Clericorum. Pœnitentiæ autem remedium Eccleſia Catholica in ſpe indulgentiæ fideliter alligat exercendum, & poſt unum Baptiſmi Sacramentum, quod ſingulari traditione commendatum, ſolicite prohibet iterandum, medicinali remedio pœnitentiæ ſubrogat adjumentum, cujus remedio egere ſe* CUNCTI AGNOSCERE DEBENT, *pro quotidianis humanæ fragilitatis exceſſibus, ſine quibus in hac vita eſſe non poſſumus, horum*

* *ad Scapulam.*

Digitized by Google

rum dumtaxat dignitate ſervata; ita ut a Sacerdotibus & Levitis Deo teſte fiat; a cæteris vero aſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote, UT HIC TEGAT FRUCTUOSA CONFESSIO, *quod temerarius aut ignorantiæ notatur contraxiſſe neglectus, aut ſicut in Baptiſmo omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari, ita pænitentiæ compunctione fructuoſa univerſa fateamur deleri peccata.* Quamobrem hujus capitis exitum his verbis expedit: *Proinde non dubitamus circa finem juſtificari hominem per pænitentiæ compunctionem. Sed quia raro id fieri ſolet, metuendum eſt, ne dum ad finem differtur* CONFESSIO *ſperata, anticipet mors, quam veniat pænitentia.* Et ne quis opinionum ſuarum nimis tenax hæc ad confeſſionem ſoli Deo factam traducat, adeoque ſibi perſuadeat, Rabanum ea lege continere noluiſſe Sacerdotes aut Levitas: ſic loquitur de iis qui ſacris ordinibus initiantur, libro *de Pænitentibus*, cap. 1. *De his autem, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſte ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo ſive Presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur, ut ſecundum id quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo ſive Presbytero, pænitentiam agant, non trepide, nec tarde, ſed*

Digitized by Google

ferventer & ſolicite: ac ſic ſe veniam peccatorum a Domino percepturos, & gradum ſe recuperaturos confidant.

IV. Concilium Moguntinum I. tempore Rabani celebratum ſic ſanxit capite XXVI. *Ab infirmis in mortis periculo poſitis, per Preſbyteros pura inquirenda eſt confeſſio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda: & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis, pondus pœnitentiæ ſublevandum.* Duo ad hunc locum reponit Dallæus. *Reſpondeo primo,* inquit, *hæc non de quibuſvis Fidelibus, ſed de ſolis excommunicatis, vel certe publicæ pœnitentiæ reis intelligenda eſſe. Statim enim addunt illi Patres: Vt ſi forte migraverint, ne obligati excommunicatione, alieni ex conſortio bene (vel potius bonorum) fiant. Ideo (inquiunt) ſecundum canonicam autoritatem, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus eccleſiaſticis ſacra cum unctione Dei animati, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.* Hæc reſponſio prima valde ſupervacanea videtur: neutiquam enim ſpectat Concilium excommunicatos, ſeu mortali anathemate ab Eccleſiæ communione ſecretos, ſed eos ſolum qui medicinali excommunicatione a Chriſti corpore abſtenti erant. Quod

quidem in more poſitum erat his temporibus, adverſus eos qui peccato quodam mortali ſive occulto ſive publico inquinabantur. Ejuſmodi vero diſciplinæ ſeveritatem temperant Patres Moguntini, in gratiam ægrorum in mortis diſcrimine decumbentium, quibus hanc corporis Chriſti communionem ultro concedunt, uti ex his verbis intelligimus : *Secundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.* Igitur ea lex a Concilio de confeſſione lata ægrorum æquabiliter ſpectat peccata ſecreta & publica, quæ quidem confeſſioni erant pariter obnoxia, & quorum rei impoſita a Sacerdotibus pœnitentia ſeu ſatisfactione, publica pro publicis, ſecreta pro occultis, plectebantur, quæ ab ægro recuperata bona valetudine confeſtim agebatur. *A quo periculo ſi divinitus erepti convaluerint, pænitentiæ modum a ſuo confeſſore impoſitum diligentes obſervent.* Nihil igitur in hoc canone ſingulare, quod non hodie in Eccleſia Romana ad praxim & uſum quotidianum reducatur.

V. Secundo reſpondet Dallæus pag. 283. *Sed & ſi de quibuſvis Fidelibus intelligatur canon, non ideo tamen ſequetur, Innocentianam confeſſionem jam tum in uſu fuiſſe. Certe nos ipſi, qui eam rejicimus, ab hominibus tamen in*

Digitized by Google

tali diſcrimine verſantibus puram quoque confeſſionem & fidei & peccatorum requirimus. Ergo quod iſti in hoc temporis articulo a Fidelibus confeſſionem exigerent, etiam quam nos accuratiorem, (qui pœnitentiam, non peccatorum enumerationem urgemus) non eo tamen fit, ut ſinguli Fideles ad aliquid ſimile ſani valenteſque aliqua lege neceſſaria compellerentur; neque niſi apud Sacerdotem confeſſi ad Domini menſam (quod nunc fit) admitterentur. Revera, ut ex his verbis abundanter patet, Calviniſtæ *requirunt puram peccatorum confeſſionem ab hominibus in tali diſcrimine verſantibus*: quamvis articulis XXVIII. & XXIX. Diſciplinæ Calviniſticæ requirant tantum admonitionibus & cohortationibus, nulla vero lege aut impoſita pœna compellant. Sed utcumque res ſint, ab inſtitutis Concilii Moguntini longe alieniſſimi ſunt: nam omnium peccatorum confeſſionem numquam exigunt; adeoque neutiquam canoni XXVII. hujuſce Concilii obtemperant. *Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & miſſæ celebrandæ, an non. Quibus reſpondimus: Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus,*

& digne pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum juſſum danda eſt, cur non eis qui pro peccatis ſuis extremam pœnam perſolvunt?

Hunc canonem XXVII. iterum ſanxerunt Patres in Concilio Wormatienſi, anno Chriſti DCCCLXVIII. ex quo intelligimus, ea ætate nullum dubitandi locum relictum fuiſſe de neceſſitate confeſſionis omnium peccatorum, ſed præſertim ex can. XXV. in quo hæc verba legimus: *Pœnitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere: temporum etiam & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, ut etiam pro conſideratione locorum, ætatum vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuſcujuſque delinquentis, a ſacris regulis oculos non reflectat.*

At vero cum nemo homo, niſi de poteſtate mentis ac ſenſus communis exceſſerit, negare poſſit eo canone explicatam confeſſionem privatam & auricularem, cujus uſus & tractatio quotidiana in nobis eſt: bona fide fa-

Digitized by Google

tetur Dallæus, ibi confeſſionis privatæ mentionem fieri. *Reſpondeo,* inquit lib. III. de Confeſſione capite 25.pag. 284. *Patres iſtos definire quæ ratio Sacerdoti ſequenda ſit in imponenda pœnitentia ſive publica, ſive privata. (hanc enim & ipſam tunc in uſu fuiſſe præter vetuſtiſſimorum conſuetudinem confiteor)* Verumtamen ab Innocentiana confeſſione, quo ſale confeſſionem auricularem continuo defricat, tribus conditionibus differre contendit. Ait enim, *Non decernere omnes & ſingulos Fideles Sacerdotis judicio pœnitentiam facere debere, etiam ob ea peccata, quæ publica pœnitentia digna non ſunt: multo minus exigere, ut quotannis, minimum ſemel, ea confeſſione fungantur; aut definire nullius peccati veniam ſine vocali confeſſione a Domino impetrari.*

Sed 1. cum ex confeſſione ſincera Dallæi Patres Concilii Wormatienſis privatam pœnitentiam ſpectent, quam Sacerdotes imponere ex hujus ætatis uſu & conſuetudine debebant; aſſequi mente non poſſum qui hac lege confeſſionis omnia peccata contineri pernegét, cum præſertim canone LXXX. ſive XXVII. Concilii Moguntini, conceptis verbis omnia peccata confeſſioni ſubjiciantur.

2. Revera non decernit Concilium, quot-

annis ſemel ſaltem teneri Fideles omnes utriuſque ſexus ſua confiteri peccata. Hoc enim ad diſciplinam ſpectat, rem vero quæſtionis poſitæ neutiquam. Non enim anquirimus quoties, ſemel aut bis, quolibet anno confiteri peccata opus ſit; ſed an ad ſalutem conſequendam & procurandam veniam ea omnia lethalia in aurem Sacerdotum confiteri neceſſe ſit.

3. Conceptis quidem verbis ac Juris formulis expreſſis non decernit, omnes Fideles teneri ſua omnia peccata confiteri apud Sacerdotes. Sed ejuſmodi objectio vexat juſtitiam varieque exagitat, & indulget nimis juri formulario contra æqui bonique dictamentum: quippe cum hanc eſſe ſuam doctrinam ſatis ſuperque Patres teſtificentur canone LXXX. *Quibus reſpondimus: Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum juſſum danda eſt, cur non etiam eis qui pro peccatis ſuis extremam pœnam perſolvunt?* Quæ cum ita ſint, in fine capitis promittit Dallæus, confeſſionem peccatorum ſoli Deo factam a ſe demonſtratum iri ad obtinendam peccatorum remiſſionem exiſtimatam fuiſſe communiter ab hujus ætatis Theologis ſufficientem. Jam ergo videamus an

Digitized by Google

quod promiſerat præſtare poſſit, atque ei amicam reſponſionem reſtipulemur.

CAPUT XXIX.

Vſum perpetuum confeſſionis auricularis comprobant, Angelomus Monachus anno DCCCL. *Radulphus Flaviacenſis anno* DCCCCX. *Petrus de Honeſtis Cardinalis Damiani, Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, S. Bernardus, Hugo & Richardus S. Victoris, Petrus Cluniacenſis, Petrus Bleſenſis, & Petrus Cellenſis. Objectiones a Dallæo ex Petro Lombardo & Gratiano aſſumptæ diluuntur.*

I. FLORUIT Angelomus Monachus ſub imperio Lothatii, quem ob ſuſceptam vitam monaſticam conculcata Imperii corona, ſummis extollit laudibus Præfatione in Cantica. Opera ejus habemus tomo IX. Bibliothecæ Patrum edit. Colon. anni MDCXVIII. At vero Comment. in IV. librum Regum capite 12. luce meridiana clarius in rem confeſſionis auricularis ſcribit explicans hæc verba Scripturæ: *Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia Sacerdotum*

Digitized by Google

erat. Hæc ſententia, inquit, *oſtendit, quod non quis proprio arbitrio facile ſe credere debet; ſed magis ſciat, quod confeſſio peccatorum & pœnitentia Sacerdotum judicio peragenda eſt, qui habent ſcientiam diſcernendi inter mundum & immundum, & lepræ maculam dijudicare, aut condemnare, aut mundum diſcernere.*

II. Radulphus vero Monachus Abbatiæ S. Geremari Flaviacenſis in Diœceſi Bellovacenſi, denſum ſcripſit Commentarium libris xx. conſtantem in Leviticum, quem habemus tomo x. Bibliothecæ Patrum edit. ejuſdem Colon. anni MDCXVIII. Cujus lib. III. cap. 7. receptum fuiſſe uſum confeſſionis auricularis ſuo tempore atteſtatur in hæc verba: *Qui non poteſt offerre aves, offerat ſimilam. Quid eſt in ſimila? Niſi latentium cogitationum & criminum, in quibus peccator ſibi ſoli notus eſt, per confeſſionem expoſitio intelligitur.* Eccam vides occultorum peccatorum confeſſionem. At continenti ſermone non minus dilucidis verbis faciendam eſſe apud Sacerdotes docet. *Quod tamen in poteſtate habet, faciat: ſimilam offerat, & mala quæ apud ſe celabat, per confeſſionem Sacerdoti prodat; ſupra quippe jam diximus, cogitationum ſubtilitatem per ſimilam deſignari.* Denique ejuſdem confeſsionis accurationem

Digitized by Google

& integritatem indigitat continuis verbis: *Dignum eſt enim, ut qui peccatorum ſuorum confeſſionem facit, conſummet eam, omnia quæ ad memoriam revocare poteſt, Domino pandens, non alia prodens, alia abſcondens.*

Verumtamen Dallæus communi quo uti ſolet effugio clauſus reſpondet, Radulphum non dicere, omnibus Fidelibus impoſitam fuiſſe neceſsitatem confeſsionis, quoniam *non apparet eam neceſſario ac velut ex lege, ante duodecimum ſæculum a Chriſtianis factitatam fuiſſe.* Sed ejuſmodi reſponſionis ſpeciem diluere non difficile eſt. Id enim neceſſarium, ac ex lege, ac velut ex lege factitatum exiſtimari debet, cujus ope ſalutem procuramus, & ſine quo nobis comparare nequimus. Hoc autem maxime competere confeſsioni auriculari demonſtravimus infinitis ſanctorum Patrum locis, quos enucleavimus & explicuimus, ac præſertim ex mente Radulphi Flaviacenſis. Quippe cum eodemmet capite, promiſcue ſumpta confeſsione cum pœnitentia, adhortetur Fideles ne illam procraſtinent & ad ultimum vitæ diem protrahant, adducto celebri loco S. Auguſtini: *Agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exeat, ego ſecurus non ſum. Numquid dico, Damnabitur? Non dico. Sed non di-*

Digitized by Google

eo etiam, Liberabitur. Vis te a dubio liberare, age pœnitentiam, dum ſanus es. Hominis eſſet opinioſi otio & literis intemperanter abutentis defendere, Radulphum eo loci ſolam pœnitentiam ſpectare, neutiquam vero confeſsionem: quippe cum hunc locum S. Auguſtini proferat ad comprobandam hanc propoſitionem in medium allatam: *Homo itaque ſicut confeſſionem hujuſmodi, utrum vera, an falſa ſit, nequit examinare: ſic nec judicare de ea poteſt, nec certam veniæ ſpem confitenti promittere. Beatus Auguſtinus in quodam Sermone ad pœnitentes, &c.*

III. Petrus de Honeſtis, Cardinalis Damiani nuncupatus, obiit anno LXXII. undecimi ſæculi, cujus locum in rem confeſsionis auricularis citat opportune Cardinalis Bellarminus, ex Sermone LVIII. de S. Andrea, pag. 287. edit. Lugdun. anni MDCXXIII. lit. C. & D. *Quartus itaque gradus eſt confeſſio oris: hæc pure facienda eſt, quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera reticenda.* Prius obſervaverat eodem Sermone, hanc confeſſionem fieri debere apud eos, quibus animarum noſtrarum cura a Deo commiſſa eſt. *Cum igitur de vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum præcipue ſit refugium tuum, cui anima tua commiſſa eſt, quem impoſuit Deus ſuper*

Digitized by Google

caput tuum. Nec te moveat, ſi illiteratus ſit, vel indiſcretus, quia hoc ipſum ſignum humilitatis eſt quæ generat confeſſionem. Et continuo valde commendat Confeſſori clauſa tenere peccata ſibi renunciata. *Videat autem, ne unquam de his quæ ſub ſignaculo confeſſionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti conſentiat.* Non potuit ſuis conditionibus ac circunſtantiis magis exornari confeſſio auricularis; nihil enim ei deſiderari videtur præter nomen Sacramenti, ut nobis cognitiſſima ſit: quod quidem ei dedit Cardinalis Damiani in fine hujus capitis. *Ecce quam potui, etſi non quantum volui, de confeſſionis diſſerui Sacramento.*

Verumtamen Dallæus tam accuratam confeſſionis deſcriptionem eludere poſſe ſibi perſuadet capite ultimo libri III. de Confeſſione, pag. 286. *Hic vero*, inquit, *Petrus ſcilicet Damiani, dicit quidem confeſſionem oris pure faciendam eſſe, neque partem peccatorum alteram dicendam, alteram tacendam, aut levia confitenda, gravia diffitenda; cæterum an ab omnibus omnino Chriſtianis facienda ſit hæc confeſſio, & quidem omnibus neceſſario, nullis libere; non dicit.*

Atvero quid magis non ſolum conducibile, verum etiam neceſſarium ad ſalutem eſſe

exiſtimatur, quam quod velut unicum refugium Fidelibus proponitur, quo e vitiorum abyſſo emergere poſsint? Uti revera facit Petrus Damiani hoc Sermone. *Cum igitur de vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum præcipue ſit refugium tuum, cui anima tua commiſſa eſt, quem impoſuit Deus ſuper caput tuum.* Et infra eadem pagina: *Pro hujuſmodi confeſſione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati ſcilicet.* Præterea quid magis neceſſarium, quam quod coactum? Quod quidem eodem Sermone de confeſsione dicit idem Petrus Damiani pag. 288. lit. E. *Nihil fortius*, inquit, *ad expugnandam gratiam Dei, quam timor humanus, quia dum erubeſcimus confiteri quæ commiſimus, Deum minus quam homines reveremur. Hæc eſt confuſio adducens peccatum. Opponamus ergo ei conſiderationem rationis, reverentiam intuentis Dei, comparationem majoris confuſionis. Vt enim confiteamur, ratio movet,* Deus cogit, *qui videt; & ſi confundimur hic dicere, quid erit in illa magna confuſione, ubi omnia omnibus patebunt?* Quid enim magis probat impoſitam omnibus hominibus legem confeſsionis, quam ſi dubitandi locus non relinquatur, peccata pravo timore celata, & non confeſſa apud Sacerdotes, die ultimi judicii coram Deo,

Angelis & hominibus publicatum iri ab omnibus?

Porro ex his ſatis intelligimus quam abſurdum ſit ad aſceſim monaſticam transferre hiſtoriam admirabilem quam refert idem Petrus de quodam Monacho, qui ad confeſsionem peccati e memoria lapſi quadam revelatione inſtigatus fuerat, Epiſtola ad Deſiderium, de miraculis ſui ſæculi, quam hic exſcribere tædio eſſet.

IV. Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Angliæ Primas, ab anno Chriſti MLXX. ad annum MLXXXIX. quo obiit feria quinta, die XXIV. Maii, libellum ſcripſit de Celanda Confeſsione, quem publici juris fecit ex antiquis codicibus MSS. Abbatiæ S. Victoris Pariſienſis, & viri clariſſ. Alexandri Petavii, R. P. Domnus Lucas Dacherius, anno MDCXLVIII. ex quo nullum dubitandi locum relictum fuiſſe ea ætate de neceſsitate confeſsionis auricularis aperte intelligitur: quippe cum occulta peccata non ſolum Sacerdotibus, verum etiam omni ordini Eccleſiaſtico confiteri uſu & conſuetudine receptum fuiſſe videretur. *Viſibilia namque Sacramenta*, inquit pagina 381. lit. B. *& operantur & ſignificant inviſibilia. In hoc cognoſcimus quia de occultis omni Eccleſiaſtico or-*

Digitized by Google

dini confiteri debemus ; de apertis vero ſolis convenit Sacerdotibus , per quos Eccleſia, quæ publice novit, & ſolvit & ligat. His adjungere non pigebit quod refertur capite XII.* Antiquiorum Conſuetudinum Cluniacenſis Monaſterii, quas collegit Venerabilis Petrus, anno Chriſti MCXXII. Abbas generalis totius Ordinis Cluniacenſis. *Si opus habet ad confeſſionem pro aliquo exceſſu venire, accedit ad Sacerdotem, ad quem potiſſimum voluerit ; & ſtans ante eum, dexteram de manica extractam ponit ſuper pectus, quod eſt ſignum confeſſionis. Surgit Sacerdos , quem præcedentem ſequitur in Capitulum, & primum ante eum petit veniam toto corpore proſtratus, a quo juſſus ſe levare , poſtquam conſederit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte , quod nos verecunde fragilitatem appellamus, ante confeſſionem ſeptem pœnitentiales Pſalmos dixerit, vel ſi Pſalmos neſcit , Dominicam orationem ſepties : & poſtquam fuerit confeſſus, quod ſibi juſſerit Sacerdos ; eo die non textum Evangelii oſculatur, nec ad pacem venit , nec ad offerendam.* Quis enim ex his non intelligat , non ſolum confeſsionem peccati occulti factam Sacerdoti, verum etiam pro ejuſmodi peccato occulto quamdam ſpeciem pœnitentiæ publicæ ?

* *Tomo IV. Spicilegii Dacheriani.*

Digitized by Google

V. Jam vero hæc omnia novis acceſsionibus haud difficiliter cumulare poſſem ex capite XII. Sermonis S. Bernardi ad Milites Templi, & aliis ſcriptis Hugonis & Richardi de S. Victore, Petri Cluniacenſis, Petri Bleſenſis, Petri Abbatis Cellenſis, & infinitorum aliorum, qui ante pontificatum Innocentii III. floruerunt anno XCVIII. duodecimi ſæculi ad ſedem Apoſtolicam evecti. Sed levis eſt Dallæi curatio ad hanc rem, tenuemque habendam eſſe rationem Autorum ejuſmodi exiſtimat, quoniam paucis ante Concilium Lateranenſe annis ſcripſerunt, celebratum anno Chriſti MCCXV. quo primam legem faciendæ confeſsionis Fidelibus omnibus impoſitam fuiſſe Dallæus integro Opere defendit, poſt Joannem Calvinum lib. III. Inſtitut. cap. IV. numero 7. Quamobrem his Autoribus enucleandis, aut in rem confeſsionis producendis immorari non juvat, quos ſibi non ſolum adverſarios, verum etiam contrarios Dallæus ingenue recognoſcit & rotunde fatetur.

Sed ſilentio prætermittere nefas eſt gravioris momenti difficultatem, quam ex Petro Lombardo Magiſtro Sententiarum, & Gratiano Decreti compilatore, aſſumit lib. IV. de Confeſſ. cap. 43. viris de Eccleſia Roma-

na

na optime meritis, atque inter Scriptores eccleſiaſticos famæ & nominis ingentis, qui circa annum Chriſti MCXLV. floruerunt, LX. ſcilicet annis ante Concilium Lateranenſe. Enimvero objectat ejuſmodi Doctores exiſtimaſſe opinionem confeſſionem ſoli Deo aut apud Sacerdotes faciendam conſtituentem, eſſe ancipitem ſeu problematicam, & poſſe in utramque partem tuta conſcientia, ſarta tectaque fide catholica oppugnari & defendi: adeoque citat Magiſtrum Sententiarum lib. IV. Sent. diſt. 17. *In his enim etiam Docti diverſa ſentire inveniuntur, quia ſuper his varia ac pene adverſa tradidiſſe videntur Doctores, &c.* Et hæc verba Gratiani ex II. parte Decreti, diſt. I. tractatus de Pœnitentia, in quo poſtquam utriuſque partis ſententias expoſuit, ait capite 89. *Quibus autoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis & confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur. Vtraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros.*

Quod ſpectat Petrum Lombardum, mentem habuit alieniſſimam ab opinione conſtituente, ſolitariam contritionem, poſtpoſita confeſſione vel in re vel in voto, ſufficere ad

Digitized by Google

procurandam remiſſionem peccatorum, adeoque ſtatuente, ſatis eſſe ſoli Deo confiteri. His enim pravis dogmatibus aperte repugnantia docet diſtinct. XVII. *Sicut enim præcepta eſt nobis interior pænitentia: ita & oris confeſſio, & exterior ſatisfactio, ſi adſit facultas. Vnde nec vere pænitens eſt, qui confeſſionis votum non habet.* Et paragrapho ſequenti, eadem diſtinct. *Si ſufficit ſoli Deo confiteri?* concludit: *Ex his aliiſque* INDUBITANTER OSTENDITUR, *oportere Deo primum, & deinde Sacerdoti offerri confeſſionem, nec aliter poſſe perveniri ad ingreſſum paradiſi, ſi adſit facultas.* Ex his enim vocibus, *indubitanter oſtenditur*, ſatis intelligimus, non exiſtimaſſe Lombardum, opinionem ſeu ſententiam conſtituentem neceſſitatem confeſſionis apud Sacerdotes eſſe dubiam & ancipitem. Et cum firmiter crediderit, omnem aditum paradiſi fore intercluſum iis qui peccata confiteri prætermiſerint; neceſſe eſt Magiſtrum Sententiarum opinionem ejuſmodi confeſſionis neceſſitatem repudiantem, non ſolum falſam & intolerabilem, verum etiam ab inſtitutis Eccleſiæ & fidei catholicæ alieniorem reputaſſe.

Verumtamen libenter recognoſcere non pertimeſco, tantum Doctorem non dubitaſ-

ſe, quin ſua ætate viri docti extiterint, qui confeſſioni ſoli Deo factæ patrocinarentur. Sed contendo ſemper exiſtimaſſe ejuſmodi opinionis defenſores animo vehementer falli; ait enim ad hanc opinionem defeciſſe, non *quia ſuper his varia ac pene adverſa Doctores* tradiderint, ſed *tradidiſſe videantur.*

Quæ cum ita ſint, nihil vetat ejuſmodi opinionis novitatem fortaſſe quamdam occaſionem dediſſe continuis temporibus decreto Concilii Lateranenſis, & Canoni *Omnis utriuſque ſexus, &c.* Non adeo inſolens eſt, virorum doctorum & pietate inſignium animos falſis opinionibus ante judicium Eccleſiæ occupari, & figmentis anticipatis expleri. Ante Concilium Nicænum, & ortam hæreſim Arianam non tam caſtigate Patres de myſterio Trinitatis locuti ſunt. Myſterium Gratiæ & Prædeſtinationis Patres Græci non tam intime penetraverunt ante, quam poſt exortam & confutatam ab Auguſtino hæreſim Pelagianam.

VI. At vero Gratianus paulo indulgentius Lombardo hanc opinionem dubiam & ancipitem reputaſſe videtur. Quamobrem ait S. Thomas in IV. diſtinct. XVII. examinata quæſtione, *an ſufficiat ſoli Deo confiteri. Magiſter & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc*

poſt determinationem Eccleſiæ ſub Innocentio III. factam, hæreſis reputanda eſt. Cui ſubſcribit eadem diſtinct. S. Bonaventura. Sed tantorum virorum, in quæſtione facti hic, ut probabile eſt, errantium, ſalva pace dixerim, non eſſe credibile ita eos de Gratiano ſenſuros fuiſſe, ſiquidem animadvertiſſent, hanc Diſtinctionem perperam ei adſcribi. Legimus enim in Dialogo XVIII. Antonii Auguſtini *de emendatione Gratiani.* A. *Sunt qui putent, hos duos tractatus*, ſcilicet de Pœnitentia, *non eſſe Gratiani.* Et infra. B. *Hæc verba in ſcheda inveni. Tractatus hic de Pœnitentia non videtur eſſe Gratiani, ſed alicujus paulo antiquioris, & totus huc videtur tranſlatus, deeſtque in exemplaribus antiquis.* Ad quæ alter interlocutor ejuſdem Dialogi reſpondet. A. *Non eſſe antiquioris Gratiano apparet, quia multa ex Digeſtis adfert, & ex aliis libris Iuris civilis, quæ omnia ſunt Gratiani tempore quaſi poſtliminio reſtituta.* Igitur non integre conſtat, Gratianum hanc opinionem de confeſſione dubiam atque ancipitem exiſtimaſſe: cum inſuper dubitandi locus non relinquatur, pluribus erratis ac ſphalmatibus ſcatere integrum opus Gratiani, uti ex Correctionibus Romanis, & Dialogis Antonii Auguſtini abundanter intelligimus. Ipſe vero Dal-

Digitized by Google

læus ejuſmodi erratorum & acceſſionum, quibus cumulatum eſt Decretum Gratiani, teſtis eſt omni exceptione major. Quippe cum, poſtquam ori Gratiani hæc verba inducuntur de hac materia pœnitentiæ ſub finem hujus capitis de quo mentio eſt: *Vnde Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus ait in Pœnitentiali ſuo. Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt*, UT GRÆCI. *Quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia. Quod utrumque non ſine magno fructu fit intra ſanctam Eccleſiam*, &c. rotunde recognoſcat, nihil ejuſmodi incurrere in oculos ex Pœnitentiali Theodori, cujus rei fidem facit antiquo codice MS. Pœnitentialis Theodori, quem viderat Uſſerius Armachanus, ſectæ Calviniſticæ Scriptor doctiſſimus. Revera etiam hæc non occurrunt in editione ejuſdem Pœnitentialis, ad quam incubuit paucis abhinc annis, anno ſcilicet MDCLXXVII. clariſſ. Jacobus Petitus. Immo vero ex Capitulis Theodori ad finem Pœnitentialis ejuſdem Petiti cura editis planiſſime perſpectum habemus, tempore Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui anno Chriſti circiter DCXC. de vita deceſſit, uſum confeſſionis auricularis omnibus cognitiſſimum fuiſſe. *De viris ordina-*

tis, inquit Capitulo LX. *quorum peccata occulta nec manifeſte ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis confeſſionem Epiſcopo ſive Presbytero occulte faciunt, bonum mihi videtur ut ſecundum id quod decretum fuerit ab Epiſcopo vel Presbytero, pœnitentiam agant, non tepide, nec tarde, ſed ferventer & ſolicite; ac ſic ſe veniam peccatorum a Domino percepturos, & gradum ſe retenturos confidant.* At vero ejuſmodi diſciplinæ ſeu confeſſionis peccatorum in aurem Sacerdotis permanſionem fuiſſe ad ea tempora Lombardi & Gratiani intelligimus ex Epiſtola Waſelini Abbatis Monaſterii S. Laurentii in ſuburbio Leodienſi, quem anno MCXLVII. obiiſſe refert Bartholomæus Fiſſenus in Floribus Leodienſibus, quam publici juris fecit R. P. Joannes Mabillonius, Ordinis S. Benedicti Monachus, Analectorum veterum tomo I. qua quidem examinatur quæſtio de continentia conjugatorum ante communionem, quæ proponitur his verbis dedita opera conceptis in gratiam confeſſionis auricularis, pag. 343. *Quærunt adhuc viri diſcretores, ut in exordio præmiſſum eſt, ſi quis intra terminos legitimæ copulæ nocte obſervabili, ut dictum eſt, lapſum incurrat, & in luce matutina compunctus ad deprecandam faciem Domini totum ſe*

Digitized by Google

conferat, atque oblata ei per manum Sacerdotis legitimi puræ confeſſionis hoſtia, & in ara devoti pectoris igne indictæ ſibi pœnitentiæ pie concremata; utrum participatio vivifici Sacramenti ipſa die illi ex diſcretione aliqua annui debeat, &c. Quis enim hic non videat uſu communi Eccleſiæ & receptam confeſſionem, & a legitimo Sacerdote impoſitam pœnitentiam?

CAPUT XXX.

Probatur inviċtiſſime argumentis aſſumptis ex hiſtoria Concilii Lateranenſis anno Chriſti MCCXV. *celebrati ſub Innocentio III. tunc temporis natam non fuiſſe confeſſionem auricularem, ut docet Dallæus libro* IV. *de Confeſſione capite 24. adeoque perperam & invidioſe ſemper ab ipſo Innocentianam appellatam fuiſſe.*

Exactis tot antiquitatis eccleſiaſticæ monumentis, ex quibus uſum confeſſionis auricularis ad obtinendam remiſſionem peccatorum lethalium ſemper & ubique & ab omnibus fuiſſe receptum inviċtiſſime demonſtravimus: omni homini mentis com-

Digitized by Google

poti incogitabile videatur neceſſe eſt, qui fieri queat, ut Dallæus, non contemnendæ eruditionis vir, hujus inſtitutionem Innocentio III. Pontifici Maximo adſcribat; adeoque continuo Operis de Confeſſione decurſu *Innocentianam confeſſionem*, ac *tormentum Innocentianum* appellare non pertimeſcat, præſertim capite 17. libri 11. de Confeſſione, quo pluſquam poteſt, contendit aſſumere argumentum ad probandam novitatem confeſſionis, ex novitate legis de eadem confeſſione ſancitæ in Concilio Lateranenſi capite XXI.

Ego vero ex hujuſce Canonis novitate antiquitatem confeſſionis aperte demonſtrari mihi perſuadeo. Quod quidem ut intelligatur, hic eum exſcribere opus eſt.

Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc

Digitized by Google

ſalutare ſtatutum frequenter in eccleſiis publicecetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit ſolvere, vel ligare.

Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circunſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.

Caveat autem omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monaſterium detrudendum.

I. Iſte Canon non naturam confeſſionis ſpectat, ſed circunſtantiam ejus ad normam dirigit; ſcilicet ſemel in anno proprio Sacer-

Digitized by Google

doti faciendam eſſe decernit, clauſique tenendi ſecreti Sacerdoti neceſſitatem imponit. Porro tam ſeveris cum fieri debuerit conditionibus, quantæ neceſſitatis ipſa ſit exiſtimata confeſſio reputare facile eſt. Leges enim quæ tuendæ reipublicæ ſaluti conducunt, ipſam rempublicam jam conditam eſſe & exiſtere ſubjiciunt. Symbolum Nicænum primum eſt, quo Verbum Patri conſubſtantiale prolatum eſt. Quis ex hoc, niſi hæreticus, concludat ante annum Chriſti cccxxv. quo celebratum eſt Concilium Nicænum, de fide non fuiſſe, Verbum eſſe conſubſtantiale Patri? Si ejuſmodi ratiocinationis ſpecies, qua uti placet Dallæo adverſus confeſſionem, locum habeat: nihil eſt in fide ac moribus Eccleſiæ antiquum, quod non recens ac novitium videatur. Novitatis accuſabit Neſtorianus unitatem perſonæ in Chriſto, quia prima lex de hoc dogmate in Concilio Epheſino anno Chriſti ccccxxx. condita eſt. Similiter & Eutychianus duplicem in Chriſto naturam recuſabit ſpecie novitatis, de qua nihil ante Concilium Calchedonenſe definitum eſt. Pelagiani gratiæ Chriſti neceſſitatem novam & inauditam ante Innocentii I. ſententiam, & Innocentianam gratiam nuncupabunt. Infinitæ denique no-

Digitized by Google

vitates exſurgent ex viſceribus antiquitatis.

II. Confeſſionis uſum eſſe receptum & cognitiſſimum in orbe univerſo intelligimus ante Concilium Lateranenſe, ex ipſa Concilii hiſtoria: quippe cum Innocentius III. antequam congregaretur, & in eo de confeſſione annua deliberaretur, indulgentiam plenariam omnibus Fidelibus corde contritis, & ORE CONFESSIS liberaliter conceſſerit ad recuperationem Terræ ſanctæ. Hæc enim conceptis verbis leguntur in diplomate pontificio. *Univerſis Chriſti Fidelibus per Moguntinam provinciam conſtitutis. Omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti &* ORE CONFESSI, *veniam indulgemus.*

III. Canone x. hujuſce Concilii præſcriptum eſt Epiſcopis, ut in eccleſiis cathedralibus & conventualibus præficiant viros idoneos ad prædicationem verbi Divini, & ad Fidelium confeſſiones audiendas, ac pœnitentias injungendas. *Præcipimus tam in cathedralibus, quam in aliis conventualibus eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadjutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis con-*

Digitized by Google

feſſionibus, & pœnitentiis injungendis. Ergo nondum condito Canone, *Omnis utriuſque ſexus*, qui hujus Concilii eſt XXI. uſus erat confeſsionis, ita ut prædicationis, præcepto & conſuetudine receptus. Ita ſe rem habuiſſe in Oriente mirabiliter confirmat Joannes, Patriarcha Antiochenus, qui in Oxia inſula Monachus fuerat, hujus ſæculi XII. Scriptor, in Oratione qua probat, quod qui monaſteria per dona ſive Principum, ſive Imperatorum accipiunt, impie agunt: quam primus Græce & Latine edidit doctiſsimus Joannes Baptiſta Cotelerius, quicum Societate Sorbonica & amicitia non paucis abhinc annis conjunctus ſum, tomo I. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ, pag. 168. Hæc enim verba invictiſsime demonſtrant, nec natam, nec primulum inſtitutam fuiſſe in Concilio Lateranenſi confeſsionem. Ὑπ' αὐτῶν γὰρ τούτων ὑπ' αὐτοῦ διωκομένων μοναχῶν, τῇ ἀμάχῳ Χριστοῦ δυνάμει, ἀνετράπη σὺν τῇ Εἰκονομαχικῇ μαγγανείᾳ αὐτοῦ, καὶ πέπτωκε πτῶμα ἐξαίσιον. ἔκτοτε οὖν καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο, τετρακοσίων ἤδη χρόνων παρῳχηκότων, τοσοῦτον ὑπὸ πάντων τῶν πιστῶν ἐξεθειάζετο καὶ ἐτιμᾶτο τὸ τάγμα τῶν μοναχῶν, ὡς καὶ τὰς ἐξομολογήσεις καὶ ἐξαγγελίας τῶν ἁμαρτημάτων, καὶ τὰς ἐπ' αὐτοῖς ἐπιτιμίας καὶ ἀφεσίμους λύσεις, εἰς τοὺς μοναχοὺς μετατεθῆναι· καθὼς καὶ ἔτι

Digitized by Google

νιῶ ὁρᾶται γινόμενον. *Ab iis quippe ipſis quos perſequebatur Monachis,* (Leo Iſaurus ſcilicet) *per inexpugnabilem Chriſti vim everſus eſt cum ſuis Iconomachicis præſtigiis, & cecidit ingenti caſu. Igitur ab eo tempore ad hunc uſque diem, elapſis jam quadringentis annis, adeo a cunctis Fidelibus cultus honoratuſque fuit Monachorum ordo, ut confeſſiones ac enunciationes, peccatorum, conſequenteſque cenſuræ & abſolutiones, ad Monachos tranſlatæ ſint: quemadmodum impræſentiarum quoque fieri videmus.* Hanc veritatem acceſsionibus cumulare facile poſſem teſtimoniorum Zonaræ, Balſamonis, Theophanis Ceramei, Græcorum ſchiſmaticorum, qui Innocentio III. æquales aut ſuppares extiterunt, & infinitorum, qui ſequentibus ſæculis rempublicam ſuis ſcriptis illuſtrarunt. Sed hoc opus a doctiſsimo viro Emanuele a Schelſtrate, Eccleſiæ Antuerpienſis Canonico & Cantore, feliciter inchoatum capite IX. ad Concilium Antiochenum typis excuſum Antuerpiæ anno MDCLXXXI. ei perficiendum relinquo: meo propoſito ſufficere ratus, ſi methodo diſcuſsionis ex antiquis Patrum monumentis hiſtorice demonſtravero, uſque ad tempora Concilii Lateranenſis, de neceſſitate confeſsionis auricularis nemini in mentem dubium aut ſuſpicionem incurriſſe.

Ejuſmodi enim opere probarem methodo præſcriptionis, non ſolum eo tempore natam non eſſe confeſsionem auricularem, verum etiam ejus ortum obſtetricante manu Innocentii III. fieri ac contingere non potuiſſe; quippe cum incredibile ſit, Græcos ſchiſmaticos a Romano Pontifice, & a Latinis, ut putant, implacabilibus adverſariis, tam acerbam ac inſolentem diſciplinam ſibi traditam recepiſſe.

IV. Ante Concilium Lateranenſe IV. non habemus legem generalem Eccleſiæ, qua Monialibus interdictum fuit ne in admittendis ad profeſsionem Sororibus pecuniam exigant. Enimvero licet ea de cauſa Concilium Nicænum II. legem ſanxerit adverſus viros, ita ut Concilium Lateranenſe III. & Pontifices Alexander III. & Clemens III. revera nihil nominatim adverſus Moniales ante Innocentium III. conſtitutum eſt. Quis tamen ſibi perſuadeat, antea retroactis temporibus ejuſmodi peccatum ſimoniæ fuiſſe Monialibus incognitum? Idem profecto & de confeſsione dicendum eſt. Nihil tam firmiter comprobat uſum, quam lex quæ tollit & improbat abuſum. Cum igitur Concilium Lateranenſe decernat fieri confeſsionem ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti; abu-

Digitized by Google

ſum penitus tollat, quo decidentibus moribus, paulo negligentiores Fideles ad confeſſionem peccatorum rarius ſe applicabant: concludendum eſt, uſum ejuſdem confeſſionis ab apoſtolicis temporibus receptum & exercitatum vehementer comprobari, ac ſartum tectumque ſervari. At vero, ut inquit S. Auguſtinus lib. IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas capite 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi autoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

V. At inquit Dallæus lib. II. de Confeſſione cap. 17. & lib. IV. cap. 43. *Ac priorem quidem legem, qua præcipitur ut quiſque utriuſvis ſexus Fidelis confiteatur, qua adeo confeſſionis apud Sacerdotem neceſſitas omnium omnino Fidelium reſpectu conſtituitur, novam fuiſſe, & tunc primum latam, omnes adverſarum partium homines ante natos novitios iſtos diſputatores ſenſiſſe nobiſcum videntur. Thomas* [1] *certe, Bonaventura* [2], *& Antoninus* [3], *celeberrimi apud iſtos viri, & in Sanctorum album relati, in eam rem diſerti ſunt; qui omnes ſcribunt, ante Innocentianam illam Decretalem hæreticum non fuiſſe negare confeſſio-*

1 *In* IV. *diſtinct.* 17. (2 *Ibid.*) 3 *Chronic. parte* II. *cap.* 2. *tit.* 15. §. 19. *pag.* 464. *lit. B.*

nis apud Sacerdotem neceſſitatem.

Ex his Doctoribus nemo dixit hæreticum non fuiſſe negare confeſſionis apud Sacerdotem neceſſitatem ante decretum *Omnis utriuſque ſexus.* Sed tantummodo ſcripſerunt errore facti, quoſdam Doctores, ſcilicet Magiſtrum Sententiarum, & Gratianum, quos ſupra explicavimus, confeſſionis neceſſitatem in opinione poſuiſſe: quod quidem poſt Concilium Lateranenſe nefas eſt. Si quis ſibi perſuaderet, S. Auguſtinum exiſtimaſſe opinionem S. Cypriani de iterando hæreticorum Baptiſmate dubiam & ancipitem, vehementer animo falleretur, licet ab hæretici nota S. Cyprianum falſi opinamenti defenſorem vindicet, quia nondum cauſa in Concilio plenario definita fuerat. Nihil amplius ex SS. Thoma, Bonaventura, & Antonino colligi poteſt. Quamvis enim hæreticorum numero non cooptent viros doctos, quos ante Concilium Lateranenſe confeſſionis neceſſitatem in opinione poſuiſſe ſibi perſuaſerunt; ipſi hæreticum fuiſſe negare confeſſionis neceſſitatem, conceptis verbis docent, quippe quam eſſe juris Divini affirmant.

S. Thomas III. parte, quæſt. LXIV. art. 2. & in Supplem. quæſt. VI. art. 2. *Cum Sacramenta*

Digitized by Google

menta naturalis rationis vires excedant, ſacramentalem confeſſionem non naturalis, ſed Divini juris eſſe perſpicuum eſt.

S. Bonaventura in lib. IV. Sententiarum diſt. XVII. *De confeſſione ſacramentali.* part. II. *Quibuſdam viſum eſt ſufficere, ſi ſoli Deo fiat confeſſio. Quæritur hic, utrum tales fuerunt hæretici. Et quod non videtur, quia Magiſter recitat hoc tamquam opinionem probabilem. Sed contra hoc eſt: quia negans confeſſionem, negat abſolutionem: ac per hoc negat clavium virtutem; & ita manifeſte eſt contra Scripturam, & ita contra fidem. Reſpondeo dicendum, quod ſi quis eſſet modo hujus opinionis, eſſet hæreticus judicandus, quoniam in Concilio generali hoc determinatum eſt ſub Innocentio III. Sed* ANTE HANC DETERMINATIONEM HOC NON ERAT HÆRESIS, QUIA IPSI NON NEGABANT CLAVIUM POTESTATEM, *ſed negabant neceſſitatem: & bene concedebant, quod erat utile confiteri, & Sacerdotes poterant abſolvere. Ideo Magiſter, & Gratianus in Decretis hoc referunt tamquam opinionem: tamen uterque improbat hoc, & determinat in contrarium: Et ſi quis pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet hæreticus judicandus.* Conſtat igitur, hæreſim fuiſſe ante Concilium Lateranenſe negare confeſſionem auricularem ne-

Digitized by Google

gando clavium poteſtatem ; adeoque opinionem Dallæi & Calviniſtarum negantium confeſſionis neceſſitatem, a S. Bonaventura judicatam fuiſſe & reputatam hæreticam, & fidei catholicæ ac Scripturæ contrariam, etiam ante Canonem *Omnis utriuſque ſexus*.

S. Antoninus III. parte Summæ Summarum, titulo XIV. de Confeſſione, capite 19. *Poſt ſuſceptionem naturæ noſtræ, ut in novo Teſtamento, vocalem confeſſionem quæ fit homini, requirit ab homine : & quia in forma humana nobiſcum ubique præſens eſſe non poteſt ; ideo vicarios conſtituit homines, quibus debemus confeſſionem facere*. Et infra in fine §. I. ejuſdem capitis : *Eſt autem confeſſio de jure Divino, non naturali ; ſed de jure naturali eſt confeſſio quæ fit Deo mente*. At vero mentione facta decreti Lateranenſis, diſerte docet, ſe non exiſtimare primam legem de confeſſione auriculari in eo ſancitam ac promulgatam fuiſſe : ſed ſolummodo de tempore & circunſtantia ejus. *Nec Papa*, inquit, *poſſet diſpenſare, quod aliquis non teneretur confiteri peccatum ſuum : quia non habet poteſtatem tollendi jus Divinum ; ſed poſſet diſpenſare, quod aliquis non teneretur annuatim confiteri, quia hoc de jure humano eſt*.

Quæ cum ita ſint, nullus dubitandi locus

Digitized by Google

relinquitur, quin iſti Doctores, SS. Thomas, Bonaventura, & Antoninus, hæreſim eſſe putaverint negare confeſſionis neceſſitatem eo ſenſu, quo Dallæus & Calviniſtæ negant, ſcilicet pernegando clavium poteſtatem, ante Concilium Lateranenſe, quo Canon *Omnis utriuſque ſexus* conditus eſt: ſed ſolummodo exiſtimaverint, eos non eſſe hæreticos judicandos, qui ante Concilium Lateranenſe, admiſſa & recognita poteſtate clavium, neceſſitatem confeſſionis non admittebant. Quod ab opinione & figmento Calviniſtarum, ac præſertim Dallæi, toto cælo differt, qui poteſtatem clavium prorſus negantes, ac potiſſime Dallæus libris quatuor de Confeſſione, jus Divinum ac fidem catholicam de confeſſione violant, & tam ante, quam poſt Concilium Lateranenſe, juxta mentem SS. Thomæ, Bonaventuræ & Antonini, hæretici judicandi ſunt. Non enim crediderunt, aut unquam exiſtimaverunt tanti Viri, licitum fuiſſe Theologis ante Concilium Lateranenſe, ſibi perſuadere confeſſionem non eſſe juris Divini, nec ad ſalutem abſolute vel in re vel in voto neceſſariam; ſed ſolummodo inter hæreticos deputandos non eſſe, qui negarent eſſe neceſſario faciendam.

Digitized by Google

VI. Denique ex hiſtoria geſtorum poſt celebrationem Concilii Lateranenſis invictiſſime perſpectum habemus, incredibile atque improbabile eſſe, tunc temporis primulum inſtitutam fuiſſe confeſſionem peccatorum in aurem Sacerdotis. Enimvero quis neſcit infinitas procellas ac tempeſtates in Eccleſia & Scholis, Canonis *Omnis utriuſque ſexus* promulgatione excitatas? Defecerunt ab eo tempore Monachi Mendicantes ab imperio Epiſcoporum: in gratiam Paſtorum, & in eorumdem intertrimentum, infinitas Bullas Romana Sedes emiſit: Joannes XXII. Joannem quemdam de Poliaco huic Canoni pravum ſenſum & alienum inducentem damnavit: Univerſitas Pariſienſis pluribus propoſitionibus cenſuræ varias notas inuſſit. De hac materia ſcripſerunt indocti doctique opera paſſim. Denique Reges, Imperatores, Pontifices ejuſmodi jurgii illatam ſibi cauſam vix compeſcere potuerunt, litemque ſuam facere coacti ſunt, quæ ſpatio quadringentorum annorum rempublicam civilem & eccleſiaſticam miſcuit, ab anno ſcilicet MCCXV. ad annum MDCXV. uti intelligimus ex Lucubratione hiſtorica de ejuſmodi controverſia, quam typis Martinianis Lutetiæ edidit ὁ *μακαρείτης* doctiſ-

ſimus Joannes Launoius, Conſtantienſis, Theologus Pariſienſis, anno MDCLXXII. At vero quis credat, inter tot concertationes Doctorum, tot anguſtias Epiſcoporum, Curatorum & Mendicantium, nemini homini hæretico, aut catholico viro in mentem incurriſſe, novam eſſe atque recentem confeſſionem auricularem, ab inſtitutis Chriſti, Apoſtolorum & Patrum alieniorem? Quis ſibi perſuadeat adeo conſopitum fuiſſe tot annorum ſpatio genus humanum, ut res adeo difficilis, jugum tam inſuave & ponderoſum, quod Dallæus appellat *tormentum*, ſine repugnantia ſuſceptum ſit; exercitatio, cujus arena tot ſalebris ac vepribus hiſpida, ſenſim ſine ſenſu uſu & conſuetudine recepta ſit? Igitur non ſolum incredibile, verum etiam improbabile eſt, in Concilio Lateranenſi Innocentium III. confeſſionem auricularem inſtituiſſe: ſed immo planiſſime ex hujus Lucubrationis ſerie intelligendum eſt, a Chriſto Domino inſtitutam, rerum Chriſtianarum continuo tempore cuſtoditam, tempore Innocentii III. hominum peccatis ac negligentia decidentem, ſartam tectamque ſervatam fuiſſe; adeoque Dal-

Digitized by Google

læum toto libro de Confeſſione paradoxum incogitabile & improbabile protuliſſe.

FINIS.

S. Baſilius Magnus, Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopus, Epiſtola LX. Eccleſiæ Antiochenæ.

Οὔτε αὐτοὶ τὰ τῆς ἡμετέρας διανοίας γεννήματα παραδιδόναι τολμῶμεν, ἵνα μὴ ἀνθρώπινα λογίζωνται τὰ τῆς εὐσεβείας ῥήματα. ἀλλ' ἅπερ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων δεδιδάγμεθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν ἡμᾶς διαγγέλλομεν.

Non audemus mentis noſtræ fœtus tradere, ne humana exiſtimentur verba pietatis. Sed quæ a ſanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos reſpondemus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A

ANTE Abſidem manus impoſitio quid ſit. *pag.* 275. & *ſeq.*
Abſolutione circulatim erigi, & iteratione peccati recidere. 58
Abſolutio vera Præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis. 320
Abuti facilitate & lenitate Præfectorum pœnitentiæ. 58
Accuſatio mitius ac levius facit peccatum. 212
Acta & peccata non differunt. 363
Actiones pœnitentiæ variæ. 43
Adverſarius Patris Morini. 13
Adulterii crimine inquinatæ mulieres. *ibid.*
Adulterio pollutas mulieres publicare vetitum: ſtabant tamen ſine communione, donec impleretur tempus pœnitentiæ. 30
Alexipharmacum peccati eſt oratio Dominica, ſed non ſola. 232
S. Ambroſii Codices MSS. Abbatiæ S. Germani a Pratis. 37
S. Ambroſii tempore fiebat in quibuſdam Occidentis partibus confeſſio coram ſenatu Eccleſiæ. 38. 177
an apud S. Ambroſium legendum, *multa*, vel *occulta* peccata. 36. 37
Andegavenſis Eccleſiæ libri Pœnitentiales. 358
Antichroniſmi contrarietas. 130
Antiquitas quid. 7
Antiſtitam adeſſe an conveniat, dum Soror Preſbytero confitetur. 141
Apoſtolicæ traditiones de confeſſione. 315
Apoſtolorum canones probant exomologeſim ſignificare ſimplicem confeſſionem. 73

Digitized by Google

Apoſtolus loquitur indiſcriminatim de peccatis occultis & publicis in Epiſtola ad Galatas. 40
Argutiæ Dallæi contra Arnaldum. 9
Ars qua ſibi effugia & latebras procurat Dallæus. 7
Aſceſis Eccleſiæ fuit facere pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. *ibid.*
S. Athanaſius probat confeſſionis auricularis uſum. 128. *& ſeq.*
Scripſit Vitam S. Antonii. *ibid.*
Attritio ſpoliata omni amore Dei non ſufficit ad remiſſionem peccati, etiam cum Sacramento. 178
Avaritiæ, ambitioni, &c. pœnas canones non præſcripſerunt. 131
Audiani Hæretici abſolutionem dabant peccatoribus non rite confeſſis. 292
Audianorum hæreſis erat peccata celare. 293
Auditio, gradus pœnitentiæ. 10
S. Auguſtini tempore peccata occulta confeſſione apud Miniſtros Eccleſiæ explicabantur. 265
Autoritas Sacerdotum non differt ab autoritate Dei, apud S. Chryſoſtomum. 187
Autoritas paſtoralis ſolvere debet, quos cognoſcimus Deum per ſuſcitantem gratiam vivificare. 320

B

Baptizandi non tenebantur confiteri peccata. 196
S. Baſilii Regulæ breviores. 140
S. Baſilium de peccatis occultis mulierum loqui in Epiſtola ad Amphilochium, non dubitatur apud Græcos. 31
Bellarminum virum bonum, hoc eſt, inſulſum appellat Dallæus. 105
Bibliotheca Colbertina. 49. 126

C

Cabilonenſis I. Concilii explicatio. 307
Cabilonenſi II. Concilio particula *ſoli* addita a Dallæo. 354
Calviniſtæ omnia peccata lethalia eſſe ſibi perſuadent. 89
Calvinus fatetur uſum vetuſtiſſimum confeſſionis auricularis. 158

Digitized by Google

Caſtitatis periculum fit remotis arbitris. 304
Catholici nominis vis. 6
Catholici non ſunt ſemper tuendæ fidei diligentiſſimi. 84
Catholicum, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum. 6
Cerdonis Hæretici confeſſio. 70
Ceremonialis pœnitentia canonibus antiquis præſcripta. 10
Certiores ſunt claves Eccleſiæ, quam corda regum. 263
apud S. Chryſoſtomum, confeſſio eſt peccatorum declaratio. 186
apud eumdem, autoritas Sacerdotum non differt ab autoritate Dei. 187
S. Chryſoſtomi loci non minus negotii faceſſunt Proteſtantibus, quam Catholicis. 237
S. Chryſoſtomi querimoniæ locum dant ætate noſtra peccatores. 242
Chymici ex pumice aquam extundunt. 5
Circumſpicere diligentius, cui peccatum debeas confiteri, tempore Origenis. 91
Circunſtantiæ peccatorum confeſſioni obnoxiæ. 121
Clavibus Eccleſiæ omnia peccata ſubjecta. 132
Clavis cæli lingua eſt Petri. 179
S. Clementis Epiſtolæ ad Corinthios. 65
Clericis ſero impoſita pœnitentia publica. 11
Coacta pœnitentia non valet. 291
Codex Eccleſiæ Africanæ. 10
Cogitationum peccata. 45. 104. 248. 351
Communio laica data Diacono. 11
a Communione interdictio duplex, mortalis, & medicinalis. 19. & 20.
Comparatio peccati occulti cum vulnere partium verecundiorum. 15
Compunctio cordis perſpicitur ex confeſſione. 320
Conciliis non inſtitutum, quod univerſa tenet Eccleſia, Apoſtolica autoritate traditum rectiſſime creditur. 6
Concionatores morbos curant peccatorum. 216
Conditiones confeſſionis fixæ in Concilio Lateranenſi IV. non inſtituta confeſſio. 5
Conditio ſpeciatim adſcripta propter peccata recondita. 42
Confeſſio peccatum publicum non reddit. 13. & 15

Digitized by Google

Confeſſio facta coram ſenatu Preſbyterorum erat ſecreta. 15
ſine Confeſſione nulla remiſſio peccatorum mortalium. 15
Confeſſio peccatorum occultorum in medio Eccleſiæ, tempore S. Ambroſii. 38
ſoli Deo factam Confeſſionem non ſpectat Tertullianus. 76
docet Confeſſionem a Domino inſtitutam. 77
Confeſſio remedium ſaluberrimum pro gravioribus & tenuioribus peccatis. 104
Confeſſio peccata ſalubriter curat. 116
Confeſſione, non *conceſſione*, legendum apud S. Hilarium. 125
Confeſſio laudum & nominis Dei. 127
Confeſſio ſoli Deo fiebat in veteri Lege. 143
Confeſſionis publicæ uſus periculoſus. 156
Confeſſionis uſus diu ante inſtitutionem Pœnitentiarii. 160
Confeſſio privata non fuit ſublata Conſtantinopoli. 165
Confeſſio auricularis non nata eſt Romæ ſub Innocentio III. 166
Confeſſio verbis inanibus facta ſupervacanea eſt. 178
Confeſſio eſt peccatorum declaratio, apud S. Chryſoſtomum. 186
Confeſſionis auricularis effigies. 67
Confeſſionis duplex ſpecies in Oriente. 193
Confeſſionis theatrum. 196. 214
Confeſſio præcurrebat actioni pœnitentiæ. 298
Confeſſio peccatorum, tabula fractæ navis. 304
Confeſſio peccatorum, portus pœnitentiæ. *ibid.*
Confeſſioni obnoxia tantum peccata mortalia. 316
Confeſſio peccatorum libera & neceſſaria. 367
Confeſſionis Sacramentum. 380
Confeſſores Regis Galliæ, antiqui. 343
Confeſſus ſponte Diaconus. 11
Confitemur Chriſto peccata per Sacerdotes. 324
Confiteri oportet delictum, dum confeſſio admitti poteſt. 105
Conjecturæ inutiles in explicandis Patribus, niſi fulciantur Codd. MSS. 37
Conſenſio quid. 7
Conſiſtentia, gradus pœnitentiæ. 10. & 27
Conſtantinopolitanum in Trullo Concilium citat Epiſtolam S. Gregorii Nyſſeni ad Letoium. 155

Digitized by Google

Conſuetudines Cluniacenſes. 381
Continentia conjugatorum ante communionem. 391
Contractus inter Deum & hominem. 208
Contritio caritate perfecta procurat veniam ante peractam ſatisfactionem. 46
Contritio nulla ſine voto confeſſionis. 268
Convictio peccati, non eſt publicatio. 31
pars corporis quæ circumciditur, habet ſimilitudinem Cordis. 115
Cordis circumciſio quid ſit. *ibid.*
Correctio fraterna. 21. 34. & 44
Correctio materna, qua Eccleſia utitur adverſus pœnitentes. 21
S. Cypriani tempore omne genus peccati mortalis erat confeſſioni obnoxium. 107
S. Cyprianus libro de Lapſis per *exomologeſim* intelligit ſimplicem peccatorum confeſſionem. 104

D

DALLÆI cerebrum imaginoſum. 38
Dallæi conjectura ſine probatione. 16
Dallæi diſtinctiones futiles. *ibid.*
Dallæi exprobratio vana adverſus Eccleſiam catholicam. 119
Dallæi inconſiderata agendi ratio cum Morino. 60
Dallæi inſania Origenem inſaniæ accuſantis. 6. 87. 88
Dallæi inſolens effugium. 151
Dallæi temeritas in reſtituendo S. Hilarii loco ſine Codice MS. 126
a Dallæo particula *ſoli* Concilio Cabilonenſi II. addita. 354
Dallæum inſignis mendacii arguit Græci textus ſinceritas in Sozomeno. 278
juxta Dallæum ligandi & ſolvendi poteſtas tradita Philoſophis. 134
Dallæus Bellarminum virum bonum, hoc eſt, inſulſum appellat. 105
Dallæus corraſit argumentum contra pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, ex opere P. Petavii Jeſuitæ. 53
Dallæus peccata publica ſolum confeſſioni obnoxia putat. 9
Dallæus putat incredibile factam fuiſſe pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. 7

Digitized by Google

David ſoli Deo confitebatur peccata. 144
contra Decalogum peccata omnia admiſſa confeſſioni olim erant obnoxia. 261
Demophilus Monachus acerbior in pœnitentes. 67
Diabolus non occulte, ſed publice mordet peccatores publicos. 256
Diaconus detectus in crimine mortis. 11
Diſciplina mutationi obnoxia. 168
Donatiſtæ. 6

E

ECCLESIA univerſa ſemper intellexit inſtitutam a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure Divino neceſſariam. 3
Eccleſia vera eſt, in qua eſt confeſſio. 116
Effigies confeſſionis auricularis. 67
Eleemoſynæ ſine voto & ſuſceptione Baptiſmi nihil attinent. 89
Emendatio ſine confeſſione non ſufficit. 290
Enchiridion Epicteti. 134
ad Epiſcopi arbitrium peccata occulta ſola plectebantur pœnitentia publica, cum mortalia videbantur. 42
Epiſcopo abſente, pœnitentes Preſbyter reconciliabat. 273
Epiſcopus judex erat peccati mortalis & venialis. 42
Epiſcopus eſt magiſter. 257
Eraſmus confeſſioni auriculari parum propitius. 126
Erubeſcentia cum qua pereunt peccatores occulti. 15
Evangelii verba recitata ſufficiunt ad delenda peccata. 202
ab Euchariſtia interdictio, ſpecies quædam pœnitentiæ publicæ. 306
Euſebius fœtore hæreſis Arianæ inquinatus. 113
Ἐξαγόρευσις nunquam ſignificat ſatisfactionem ſeu actionem pœnitentiæ. 145
Excommunicari ſe rogat, qui ad percipiendam Euchariſtiam Domini indignum ſe judicat. 50
Exhortatio ad pœnitentiam, Autoris eſt antiqui & fide digniſſimi. 180
Exomologeſim faciens imprimis Paſtores adibat, eos de ſuis delictis docebat, & apud illos confitebatur. 4

Digitized by Google

Exomologeſim non fecerunt veteres Eccleſiæ Patres, quia non peccaverant. 58
Exomologeſis vocabulum grammatice ſumptum confeſſionem ſignificat; & alteri non fuit impoſitum ante hæreſim Novatiani. 72
Exomologeſis ſignificat ſimplicem peccatorum declarationem, apud S. Irenæum. *ibid.*
Exomologeſis a Domino inſtituta. 77
Exomologeſis ſignificat confeſſionem privatam peccatorum in aures Sacerdotum, juxta P. Petavium. 95. & 109
Exomologeſis non ſignificat actionem pœnitentiæ. 114. & 251
Exomologeſis actus diſtincti a confeſſione. 146

F

FABIOLÆ pœnitentia publica pro peccato occulto. 29
Facinus omne confeſſioni ſubjectum. 117
Fatuitas Hæreticorum antiquorum & recentium. 17
Fidei & diſciplinæ diſſimilitudo, quod fides immobilis, diſciplina viciſſitudini ſit obnoxia. 83
Fidei capita immobilia. 168
Fides ſola immobilis ſtat. 112
Fletus, gradus pœnitentiæ. 10
Fornicatores, mœchi & molles Euchariſtiam quotidie recipere non debent. 44
de Frequenti communione liber. 9
Frequentia confeſſionum probat multitudinem peccatorum. 58
Fures anno uno a ſola Sacramentorum communione arcebantur, ſi ſeipſos accuſaverint; duobus, ſi convicti fuerint. 33
qui Furtim coivit, ceſſet a miniſterio. 34

G

LIBER de caſibus monaſterii S. Galli. 51
Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus, recluſus pœnitentiam publicam egit pro peccato occulto. 48
Gordianus ſex annis Imperium Romanum adminiſtrat. 114
Gradus pœnitentiæ ſolemnis & ceremonialis, non impoſiti omnibus reis. 10. & 26

Digitized by Google

Græci non dubitant S. Baſilium loqui de peccatis occultis mulierum in Epiſtola ad Amphilochium. 31
Græci textus ſinceritas in Sozomeno mendacii inſignis arguit Dallæum. 278
S. Gregorii Nyſſeni verſio Latina non fida. 154
S. Gregorii Nyſſeni ad Letoium Epiſtola, ejus genuinum opus eſt. 10. & 155
S. Gregorii Thaumaturgi Epiſtola canonica. 26

H

HÆRETICORUM, cum antiquorum, tum recentium fatuitas. 17
apud S. Hilarium legendum, *confeſſione*, non *conceſſione*; & veniæ confeſſio quid ſit. 125
in reſtituendo S. Hilarii loco ſine MS. Codice Dallæi temeritas. 126
Hiſtoria Sacramenti Pœnitentiæ. 9
Hodie ſit pœnitentia publica pro peccatis occultis. 254
Honorifica pœnitentia publica. 45. & 59
Humilitas Chriſtiana tuenda ope confeſſionis ſoli Deo factæ. 198
Humilitas peccatorum vincula ſolvit. 229

I

IGNOMINIA eſt peccare, non, confiteri. 221. 222
Ignominiæ notam non adſpergebat pœnitentia publica. 59
Ignorantiæ peccata. 208. 228
Illiberitanum Concilium habitum ante tempora S. Cypriani, probat exomologeſim ſignificare declarationem peccatorum. 11. 72
Imperator Philippus coactus ad confeſſionem peccatorum. 115
Impoſitio manuum ante abſidem. 10
Impoſitio manuum accepta in ordinatione, non dabat immunitatem a pœnitentia publica. 14
Inconſideratio Preſbyteri pœnitentiarii dedit Nectario locum abdicationis faciendæ. 160
Indicare peccatum Sacerdoti. 17
Inſano timore ſibi inferendæ ignominiæ affecti. 76

Digitized by Google

Inſtituta erat confeſſio ante Pœnitentiarii inſtitutionem. 159
Inſtitutiones Lactantii. 115
Inſtitutio Preſbyteri pœnitentiarii. 159
Inveſtigatio rei manifeſtæ, futilis. 184
apud S. Irenæum, *exomologeſis* ſimplicem peccatorum declarationem ſignificat. 72
Iſonis monachi San-Gallenſis parentes pœnitentiam publicam egerunt pro peccato occulto, ſæculo I X. 51
Judas ad communionem admiſſus. 63

L

LABBEI Jeſuitæ Diſſertationes hiſtoricæ. 137
Labbeus Jeſuita retaliavit injurias hæreticorum. 137
Laborare perfecta nominis injuria. 16
Labor & lacrymæ pœnitentium. 17
Lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. 178
poſt Lacrymarum effuſionem S. Petri, conceſſa fuit Apoſtolis poteſtas remittendi peccata. 179
Lacrymæ peccatorum ſpongia. 207
Lactantii Inſtitutiones. 115
Laniena conſcientiarum non eſt confeſſio. 119
Laodicenum Concilium celebratum ante Nicænum. 120
in Lateranenſi I V. Concilio confeſſionis conditiones defixæ: non inſtituta confeſſio. 5
Lepræ gravioris immunditia. 325
Leproſi ſunt qui varias doctrinas profitentur erroris. 328
ad Letoium Epiſtola, genuinum opus S. Gregorii Nyſſeni. 155
Lex quæ tollit abuſum, probat uſum. 398
Libera & neceſſaria peccatorum confeſſio. 367
Libro de Lapſis S. Cyprianus per *exomologeſim* intelligit ſimplicem peccatorum confeſſionem. 104
Ligandi & ſolvendi poteſtas tradita Philoſophis juxta Dallæum. 134
Litania appellata exomologeſis. 71
Luxuriæ remedium, confeſſio peccatorum. 304

Digitized by Google

M

MAGISTER eſt Epiſcopus. 257

Mandati Divini neceſſitas, qua tenemur confiteri peccata. 315

Manuſcripti Codices S. Ambroſii, Abbatiæ S. Germani a Pratis. 37

magna Medicina, vitii confeſſio. 144

Medicina quod ignorat non curat. 257

Melchiſedeciani hæretici. 245

Milevitanum II. Concilium. 74

Miniſtri Eccleſiæ fletibus & lacrymis pœnitentium victi. 20

Miſſæ nomen ad alia Eccleſiæ officia tranſlatum. 74. & 75

Mollitia Præfectorum pœnitentiæ. 58

apud Monachos confeſſionis uſus frequentior. 140

Monachi pœnas publicas publicis peccatis, occultas occultis imponunt. 339

Monachi confeſſores in Oriente. 397

Moniales confitebantur olim peccata ſua Presbytero. 141

Montani hæreſis ſub Pontificatu Soteris Papæ, & Imperio Commodi. 84

Moralis culpa, non, *mortalis*, legendum apud Origenem. 22. 23

Morbi manifeſti animarum & occulti ſanabiles apud Sacerdotes. 184

Mores poſtulant alios alia ſæcula. 112

cum Morino inconſulta Dallæi agendi ratio. 60

Mulieres a quodam Marco nebulone ſe vitiatas confeſſione declarant. 68

Mulieres viros ſuos de adulterio accuſare non ſolent. 252

an *Multa*, vel *occulta* peccata apud S. Ambroſium eſſent publicæ pœnitentiæ obnoxia. 36. & 37

Munſterus ex Franciſcano Calviniſta. 204

N

NECTARIUS abdicat Presbyterum pœnitentiarium. 156

Neocæſarienſe Concilium. 12. & 54

Digitized by Google

Nicænum Concilium celebratum anno Chriſti cccxxv. 114
ante Nicænum Concilium confeſſio peccatorum uſu recepta. 115
Novatiani poſt exortam hæreſim uſus graduum pœnitentiæ publicæ invaluit. 72
Novatiani negarunt neceſſitatem confeſſionis peccatorum. 116
Novatiani hæreſis erat, quod peccatum mortale Eccleſia condonare non poſſit. 147

O

Objectiones duplicis generis adverſus pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. 52
Occulta crimina Sacerdotibus aperta. 146. 147. 177.
Occultorum peccatorum confeſſio magis neceſſaria, quam publicorum. 250
Occultum peccatum quid ſignificet. 17
Octuagenarii homines, juvenes. 16
Officina pœnitentiæ publicæ reſerata peccatis occultis & publicis. 319
Olim Omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere. 339
Omnis utriuſque ſexus canone non fuit inſtituta confeſſio. 5. & 393
Opinioſi homines. 17
Oratio peccatum dimittit. 229. 231
Oratio Dominica eſt alexipharmacum peccati, ſed non ſola. 232
Ordinibus ſacris arcebantur pœnitentes rei, non innocentes. 60
Origenes ſecreta peccata deleri putat confeſſione. 18
Origenis opera pauca Græca. 82
ex Origene futilis objectio aſſumpta. 84
apud Origenem legendum, *moralis culpa*, non, *mortalis*. 22. 23
Origenem inſaniæ accuſantis Dallæi inſania. 87. 88
Origenes docet oportere peccatum non celare intrinſecus. 90

Origenes comparat hominem celantem peccatum, cum eo qui indigeſtam eſcam incluſam in ſtomacho habet. 90
Origenis commentarii Græci in Evangelium S. Matthæi codex MS. 100

P

PALIMPSESTUM corradere. 2
Papæ triplex tiara. 113
Παρατήρησις quid ſignificet. 128
Participatio Sacramentorum, gradus ultimus pœnitentiæ. 10. 28
Paſtores ſtatuere non poſſunt pœnas peccatis atque imponere, iis non auditis. 4
Patres aleſcentis Eccleſiæ peccata mortalia poſt Baptiſmum non commiſerunt. 58
Patres Concilii Pariſienſis docti. 357
Pattalorynchitæ hæretici. 245
S. Paulus loquitur indiſcriminatim de peccatis occultis & publicis, in Epiſtola ad Galatas. 40
Peccata debent ſigillatim declarari. 3
Peccata ſecreta & publica ſubjecta poteſtati Apoſtolorum. 4
Peccata publica ſolum confeſſioni obnoxia putat Dallæus. 9
Peccata ſecreta mortalia confeſſioni obnoxia conſtituuntur. *ibid.*
Peccata multa, quibus veteres canones pœnas non impoſuerunt. 10
Peccata per manus impoſitionem ſublata. 13
Peccata occulta comparate, non ſimpliciter apud Tertullianum intelligenda. 16
Peccata venialia remiſſa per impoſitionem manuum. *ibid.*
Peccata publica nunquam immunia erant a pœnitentia publica. 42
Peccata occulta ſola ad arbitrium Epiſcopi plectebantur pœnitentia publica, cum mortalia videbantur. *ibid.*
Peccata omnia lethalia confeſſioni ſubjicit Tertullianus. 77
Peccata venialia ſine confeſſione remittuntur. 87. & 137
Peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei. 140

Digitized by Google

Peccata oculis repræſentare pernicioſum, ea confiteri optimum. 248
Peccata omnia contra Decalogum confeſſioni olim erant obnoxia. 261
Peccata occulta confeſſione explicabantur apud Miniſtros Eccleſiæ, tempore S. Auguſtini. 265
Peccata mortalia tantum confeſſioni obnoxia. 316
Peccati occulti & publici diſcrimen. 35. 42
Peccati mortalis & venialis judex erat Epiſcopus. 42
Peccati tantummodo manifeſti & publici confeſſio ſecreta, inutilis. 298
Peccatores publicos non occulte, ſed publice mordet diabolus. 256
Peccatum occultum a ſolo pœnitente cognitum. 12
Peccatum publicum ab aliis detectum. *ibid.*
Peccatum non ſolum in gravi malo committentis, ſed etiam in ſcandalo aliorum. 42
Periculum caſtitatis fit remotis arbitris. 304
ex opere Petavii Dallæus corraſit argumentum contra pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. 53
Petavius per exomologeſim intelligit privatam peccatorum confeſſionem in aures Sacerdotum. 95. & 109
S. Petro non fuit impoſita neceſſitas renunciandi peccati ſui Sacerdoti. 179
poſt lacrymarum effuſionem S. Petri, Apoſtolis fuit conceſſa poteſtas remittendi peccata. *ibid.*
Philippus, primus Imperator Chriſtianus, confeſſionem fecit ſuorum peccatorum. 114
Plagii crimen. 9
Pœna ſeparationis ab Euchariſtia impoſita pro peccatis ſecretis. 11
Pœnæ in arbitrio Epiſcoporum relictæ. 28. & 56
Pœnitentia publica pro peccatis ſecretis olim facta. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 22. & 28
Pœnitentia ſolemnis. 10
Pœnitentia ad arbitrium Epiſcopi impoſita. 11
Pœnitentiam publicam ſpectat Tertullianus libro de Pœnitentia. 14
Pœnitentia publica honorifica, omnem probri maculam extergebat. 21. & 22

Digitized by Google

Pœnitentia publica adulteria occulta palam non declarabantur. 22
Pœnitentia publica, interdictio a Magiſtratibus Eccleſiæ. 24. & 25
Pœnitentiæ diſſimilitudo non aſſumpta ex occultatione, aut publicatione peccati. 26
Pœnitentia publica pro peccatis occultis, non decurſis omnibus gradibus pœnitentiæ ſolemnis. 28
Pœnitentia publica peccata non promulgabantur. 30
Pœnitentiam qui petit, excommunicari ſe ſupplicat. 50
Pœnitentia publica ſolitario pietatis & devotionis inſtinctu ſuſcepta. 59
Pœnitentia infamiæ notam non inferebat, ſed peccatum. 60
Pœnitentia publica non eſt confundenda cum confeſſione publica. 110
Pœnitentiæ publicæ gradus omnes percurrere non omnibus ſtatutum erat. *ibid.*
Pœnitentiæ publicæ officina reſerata peccatis tum occultis, tum publicis. 319
Pœnitentia graviorum & leviorum peccatorum. 250
Pœnitentiales libri. 323. 348
Pœnitentiarii inſtitutio & abdicatio. 159
ad Pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere omnes olim oportebat. 339
Portus pœnitentiæ confeſſio peccatorum. 304
Preſbyter ante ordinationem peccans non offerat. 13
Preſbyter non convictus, ſuæ poteſtatis arbitrio relinquitur. *ibid.*
Preſbyter reconciliabat pœnitentes, abſente Epiſcopo. 273
Principes terreſtres habent poteſtatem ligandi corpora ſolum, non animas. 182
Proportio pœnitentiæ & peccati. 123
Publica peccata abundanter cognita. 17
Publica confeſſio peccatorum abrogata. 294
Publicanus Phariſæi inſultationes de calamitate ſuſtinens. 198
Pudendum facinus non velandum intra conſcientiam. 115
Pueri tres in fornace ardentes confitentur ſoli Deo. 199
Pythagorei cenotaphia erigebant iis qui philoſophiam ſuam ejurabant. 25

Digitized by Google

Q

QUALITAS peccati norma pœnitentiæ. 123
Querimoniæ S. Chryſoſtomi locum dant ætate noſtra peccatores. 242
Quotidiana pœnitentia peccatorum mortalium. 306

R

RECLUSUS Genebaldus Laudunenſis Epiſcopus. 48
Reconditum nil magis quam peccatum ſoli reo confitenti cognitum. 33
Regulæ breviores S. Baſilii. 140
Omnis Religio populi Chriſtiani, eſt ſine ſcelere & ſine macula vivere. 58
Remenſe II. Concilium confeſſioni auriculari propitium. 354
S. Remigius celebrat unam diem Dominicam Remis, alteram apud Laudunum. 48
Remiſſio peccatorum ei qui non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum. 82
Remiſſio peccatorum a Sacerdotibus condonata Deo grata & accepta. 105
Remiſſio poteſt obtineri ſine Sacerdote in caſu neceſſitatis. 302
Repræſentare oculis peccata pernicioſum, ea confiteri optimum. 248
Romæ conſuetudo erat agendæ pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis. 39
Rufini interpretationes parum fidæ. 81

S

SINE Sacerdote in caſu neceſſitatis poteſt remiſſio obtineri. 302
Sacerdotes, Chriſti Vicarii, Præſides & Judices. 3
Sacerdotes judicium incognita cauſa exercere non poſſunt. *ibid.*
Sacerdotes habent omnem poteſtatem rerum cæleſtium ſibi a Deo conceſſam. 182

Digitized by Google

Sacerdotes medici animarum. 183
Sacerdores ſupra naturam poſiti. 188
Sacerdotum munus, examinare peccata, an mortalia ſint, an venialia. 18
Sacerdotum poteſtas in remittendis peccatis, Dei eſt. 147
Sacramentum confeſſionis. 380
Satisfactionis modum accipere a Miniſtris Sacramentorum. 41
Satisfactio confeſſione diſponitur. 79
Secreta peccata confeſſione deleri, putat Origenes. 18
Secreta peccata in conventu totius Eccleſiæ explicata. *ibid.*
Secretum confeſſionis olim clauſum tenebatur a Miniſtris Eccleſiæ. 31
Senſus communis, judex controverſiarum omni appellatione remota. 17
Senſu communi carent qui putant neceſſe fuiſſe confiteri peccata in veteri Lege. 144
Separatio ab Euchariſtia pro peccato occulto. 46. & 47
Sibi ſoli quomodo Deus rationem reddere jubet. 193
Sirmondus. Jacobus Sirmondus, Jeſuitarum optimus. 344
Solemnis pœnitentia. 10
Soli Deo facta confeſſio quomodo intelligenda. 196. 197. & 198
Soli, particula addita a Dallæo Concilio Cabilonenſi II. 354
Sozomeni locus a Muſculo corruptus. 165
in Sozomeno ſinceritas Græci textus arguit Dallæum inſignis mendacii. 278
Spectrum horribilis exercitus diabolorum. 332
Stuprum illatum mulieri Diaconi. 70
Subjectio, gradus pœnitentiæ. 10. & 26

T

TABULA fractæ navis, confeſſio peccatorum. 304
Tertullianus ſpectat pœnitentiam publicam libro de Pœnitentia. 14
Tertullianus non ſpectat confeſſionem ſoli Deo factam. 75
Tertullianus docet confeſſionem a Domino inſtitutam, & omnia peccata lethalia ei ſubjicit. 77
Tertulliani opus genuinum de Pœnitentia. 15

Digitized by Google

apud Tertullianum peccata occulta comparate, non ſimpliciter intelligenda. 16
Theatrum confeſſionis. 196. 214
Theatrum Sheldonianum Oxoniæ. 65
Timor pœnæ diluit peccata, ſicut calor ſolis ceram. 222
Traditionis autoritas. 6
Tridentini Concilii Patres decretum de confeſſione jure merito condiderunt. 3
Tridentinorum Patrum comparatio cum chymicis, inſulſa & contra ſenſum communem. 5
Concilii Quiniſexti in Trullo explicatio. 303
Turonenſe III. Concilium explicatur. 148

V

VAMBA Rex nullo peccato pollutus pœnitentiam publicam egit. 59
Varietates peccatorum. 258. & 259
Vaſenſe I. Concilium non repugnat pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis. 62. & 64
Vaticana Bibliotheca. 136
Venia peccati eſt confeſſio. 126
Veniæ confeſſio apud S. Hilarium quid ſit. 125
Venialia peccata remiſſa per impoſitionem manuum. 16
Venialia peccata ſine confeſſione remittuntur. 87. & 134
Verecundia inſana ab agenda pœnitentia cohibet. 16
Verſio Latina S. Gregorii Nyſſeni non fida. 154
Viri ſolent uxores adulteras deferre ad Sacerdotes. 253
Vitam S. Antonii ſcripſit S. Athanaſius. 128
Vitilitigationes, quarum ope Proteſtantes vim veritatis eludere ſolent. 2
Univerſitas quid. 7
Uſum probat lex quæ tollit abuſum. 328
Vtrumque, pronomen copulative & conjunctim ſignificat. 352. & 353
Vvormatienſe Colloquium. 23

Digitized by Google

Z

ZELOTYPIA accenſi homines mulieres adulteras interficiunt. 30
Ζωοφθορείας peccatum. 35

FINIS.

PARISIIS,
E Typographia GABRIELIS MARTINI, via Jacobæa, ſub aureo Sole.

M. DC. LXXXIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

12. ~~H. 6. g.~~
I. 20